Ratio huius mutationis est, quia non satis in toto hoc capite distinguitur duplex iudicium credibilitatis, ab scholasticis apprime distingui solitum; nempe *extrinsecum* miraculis etc. innixum, et *intrinsecum, supernaturale* et *obscurum* propter revelationem Dei.

27. Initio § dicendum: „Ut nihilominus in hoc fidei nostrae obsequio ratio quoque suas partes haberet, nempe ex perspecto divinae revelatio-

nis facto, voluit Deus cum internis Spiritus S. auxiliis externa etiam iungi revelationis suae argumenta, facta scl. divina atque imprimis miracula et vaticinia, quae cum a Deo solo omnipotenti et sapientissimo esse possint, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula prophetiasque ediderunt; et de Apostolis scriptum legimus: ‚Illi autem. . . . signis.' Isaias vero dicebat: ‚Annuntiate. . . . dii estis vos,' id est Dei per vos loquentis organa et testes·"

28. Secunda paragraphus, retentis Apostoli verbis, incipienda foret hoc modo: „Ut nihilominus *hic* fidei nostrae assensus, non caecum, sed ut ait idem Apostolus, ‚rationabile obsequium' esset, voluit Deus etc."

29. Lin. 1. Loco: „Ut nihilominus fidei nostrae argumenta" ponatur: *Ut nihilominus fidei nostrae obsequium* rationi esse consentaneum posset demonstrari, voluit Deus etc.

30. Initium § 2. potius sit hoc: „Ut vero fidei nostrae obsequium ipsi quoque rationi congrueret, voluit Deus etc." Quo facto agnosceretur, et quod obsequium fidei nostrae auctoritate Dei revelantis niti debeat, et ex alia parte nostram quoque rationem suam posse habere functionem in rebus fidei.

31. Lin. 4. parag. 2. cum internis Spiritus Sancti auxiliis pro *auxiliis*' dicatur, *operatione.*

32 *a*. Pag. 12. lin. 1. loco vocabuli „vaticinia" adhibeatur vox „prophetia".

32 *b*. Pag. 12. lin. 1. loco vocis: *vaticinia*, substituenda videtur vox: *prophetiae*, utpote usu sacrata.

33. In § 2. p. 12. lin. 3. pro „sapientiam" ponatur „omniscientiam".

34 *a*. Lin. 3. parag. 2. „sapientiam luculenter" pro „sapientia" dicatur *praescientia.*

34 *b*. Ibid. lin. 4 pro „divinae locutionis" ponatur „divini eloquii" seu „divinae revelationis".

35. Supprimantur verba: *divinae locutionis*, quae multiplici sensu accipiuntur; et dicatur: *ipsum locutum esse*, vel *divinae revelationis.*

§ 3.

37. Id autem, quod initio § 3 dicitur his verbis: „Licet autem non crederemus. nisi videremus esse credendum" penitus exmittendum esse censetur, ne his verbis nonnullis in rebus theologicis minus versatis detur ansa sinistre putandi ac si illis verbis intenderetur adstrui autonomia iudicii rationis in fidei rebus; nam etiamsi concedatur veritas dictorum relate ad unam aliamve veritatem rationi talium minus peritorum tantopere perspicuam, ut dicta illa ad eam applicari possint: non tamen propterea ad totum fidei nostrae objectum extendi possunt, prouti hic exprimi videtur. Itaque initium huius § ita esset formulandum. „Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus etc".

38. Omittenda videntur, quae leguntur a 3. ad 6. lineam Paragraphi, *atque adeo fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus et ab intellectus operatione disiunctus*, non enim sunt nisi repetitio praecedentium; et incipienda Paragraphus „Licet ergo", tamquam consectarium praecedentium: „Licet ergo non crederemus, nisi videremus esse credendum, nemo tamen evangelicae praedicationi etc."

39. Lin. 5. delend.: „et ab intellectus operatione seiunctus."

40. Ultima periodus huius paragraphi, „Quare et fides ipsa" aliquantula maiori claritate indigere videretur; ideo dicendum foret: „Quare et fides ipsa in se, etiamsi nondum per charitatem operetur, vere ut donum Dei habenda est, et actus ejus, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae ejus, cui resistere posset, assentiendo et cooperando, opus est ad salutem pertinens."

41. Parag. 3. lin. 13. „Quare fides ipsa in se, etiamsi" etc. substituendum: „*Quare fides ipsa in se, etiamsi a charitate distincta et ab ea separabilis, donum Dei et actus eius opus est* etc."

42. *Quare fides ipsa. . .* post verba *donum Dei*, addatur verbum *est*; et subinde dicatur: *et actus eius est opus. . .*

43. Pag. 12. lin. 20. Quare fides ipsa in se. . . per charitatem operetur, donum Dei (addatur) *est*: *quando autem operatur*, actus eius etc.

44. Lin. 13. Ponatur: Quare fides. . . donum Dei est, et actus fidei opus est salutare, conducibile ad salutem.

§ 4.

45. Pag. 13. primum alinea hoc loco deleatur, et secundum alinea incipiat verbis: „Immo haec fides est radix salutis, sine qua" etc.

46. Quoad § 4. p. 13. qui incipit „Porro fide divina etc.", et quoad § 5. sequentem, ad arctiorem ordinem logicum inducendum, atque ad maiorem claritatem obtinendam, haec fiat modificatio, ut post finem § 3. ponantur illa, quae pagina 13. § 5. a linea 17. incipiunt his verbis „ Ut autem huic officio etc." et quidem hac sub formula modificata exprimantur: „Ut autem omnibus pateat, ubi vera fides inveniri, indeque illa accipi possit, Deus per filium suum unigenitum etc." usque ad verba „facile agnosceretur" — Post haec vero adiungantur illa, quae habentur in § 3. eiusdem paginae, sub hac modificatione: „Itaque fide divina et catholica etc." usque finem huius § 4.; cui dein post signum puncti, adiungantur illa, quae leguntur § 5. ab initio usque ad verba „vitam aeternam assequetur". Post haec vero adnectantur ea, quae habentur § 5. a verbo „Ad nullam etc." usque finem huius §.

47. Usque nunc de fide divina, seu a Deo revelata, actum est; non de fide catholica, aut ab Ecclesia proposita: ideoque Paragraphus 4. omittenda est; et quae sequuntur in Paragrapho 5. „Haec illa fides est" usque ad „vitam aeternam assequetur" inclusive, addenda sunt Paragrapho 3; hic enim adhuc agitur de fide divina, etiam ante adventum Christi necessaria.

48 *a*. Pag. 13. tollantur verba „*sive solemni iudicio sive ordinario magisterio*".

48 *b*. Pag. 13. lin. 4. Plures Episcopi in phrasi, quae sic se habet: *Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario magisterio credenda proponuntur*, incisum illud: *sive solemni iudicio sive ordinario magisterio*, supprimendum censuerunt, tanquam subobscurum et alienis interpretationibus ansam praebens.

48 c. In phrasi quae incipit: *Porro fide divina et catholica*, si attendatur ad theologicum verborum rigorem, dici non potest ea omnia fide catholica credenda esse, quae ordinario Ecclesiae magisterio proponuntur, quandoquidem ea tantum fide catholica credenda sint: quae definita fuerunt. Ideo, ut omnis tollatur ambiguitas, supprimantur verba „*sive solemni iudicio sive ordinario magisterio*".

49. In pag. 13. ad Paragraphum primum vel oportet supprimere ver-

ba, „sive solemni iudicio sive ordinario magisterio“, vel dicere huiuscemodi : „et ab Ecclesia sive solemni iudicio in Concilio generali sive ordinario Romani Pontificis eiusdem Ecclesiae Capitis visibilis magisterio credenda proponuntur, atque de fide tenenda praecipiuntur.“

50. Lin. 4. 5. post verba : „sive ordinario magisterio“ addatur : „publico et universali“.

51. Ita sonet : „Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito immediate continentur, et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario magisterio tanquam divinitus revelata de fide credenda proponuntur“.

52. Paragraphus hoc modo reformetur : „ Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni iudicio, sive ordinario magisterio omnibus fidelibus tamquam de fide divina credenda proponuntur“.

53. Fide insuper credenda sunt, quae in verbo Dei scripto et tradito continentur, et ab Ecclesia solemni iudicio et ordinario suo magisterio ad credendum proponuntur.

§ 5.

54. Priora verba phrasis subsequentis : *Haec est illa fides*, cum immediate adnectantur propositioni praecedenti, declarare videntur *fidem, sine qua impossibile est placere Deo*, eam esse, qua credimus veritates omnes divinitus revelatas, ab Ecclesia propositas ; hac autem doctrina omnino tolleretur distinctio veritatum *necessitate medii* credendarum, et earum, quae credendae tantum sunt *necessitate praecepti*. Quum vero in decursu eiusdem Paragraphi dicatur, Ecclesiam institutam fuisse *custodem et magistram verbi revelati*, supprimi potest absque ullo doctrinae praeiudicio phrasis : *Porro fide divina* ; et phrasis sequens sic inchoari : *Sine fide autem impossibile est placere Deo*. Et ne confundatur *officium amplectendi fidem christianam*, quando nosci potest, cum fide necessaria necessitate medii, de qua loquitur citatus apostoli textus ; in phrasi, *ut autem huic officio*, supprimenda videtur vox, *huic*.

55. Tunc veniet Paragraphus 5. componenda ex 4. et 6. Paragraphis, hoc modo : Quo fit, ut fide divina et catholica ea omnia credenda sint, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia credenda proponuntur ; Ecclesia enim est „veluti signum levatum in nationes“ etc. usque ad finem capitis.

56. Paragraphus incipienda est a verbis sequentibus, ubi agitur de nstitutione Ecclesiae „Ut autem huic officio veram fidem amplectendi etc.“ usque ad finem Paragraphi.

57. Sic incipiat : Sine fide autem impossibile est placere Deo...

58. Pag. 13. lin. 13. post verba, *Quare sicut nemini unquam*, addenda haec proponuntur : *eorum, qui ad usum rationis pervenerint*, et deinde succedant alia, quae leguntur in schemate usque ad *sine illa contigit iustificatio* etc. Tali enim brevi additione excipiuntur omnes, qui excipiendi sunt, infantes et imbecilles, qui sine fidei cognitione et professione, per solum baptismum iustificationem adipiscuntur.

59. Pag. 13. lin. 13. „sicut nemini„ etc. substituatur „*Sicut nemo unquam sine illa iustificationem consequi potuit*, ita nemo“ etc.

60. Pag. 13. lin. 13. Post verba „sine illa“ addatur „fide seu explicite vel implicite professa, contigit“, ut in schemate.

61. Pag. 13. lin. 20. Post verbum „satisfacere“ dicatur :

„ Possent homines, Deus ab initio societatem religiosam, seu Eccle-

siam, constituerat, quae, cum illum glorificaret, simul provideret deposito fidei, quo salus obtinetur; novissime vero per Filium suum Unigenitum hanc Ecclesiam in ultimo statu instituit suaeque" ut in schemate.

62. Lin. 22. Post „Ecclesiam instituit', (addatur) „*eamque suae* institutionis etc.

63. Lin. 21. pro „Deus agnosceretur" ponatur... ; Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, cui verbi revelati custodiam et magisterium commisit, suaeque institutionis ita manifestis notis ipsam instruxit, ut ab omnibus facile agnosci posset.

64. In § 5. lin. 24. post particulam coniunctivam „ut" addatur particula indicativa „qua" ad maiorem claritatem obtinendam.

65. Pag. 13. lin. 25. et 26. tollantur verba „*ab omnibus facile*".

66. Lin. 26. ubi dicitur „Ad nullam enim religiosam societatem" etc. videtur aliquantulo modo Concilium dare manum haereticis, qui suam sectam societatem religiosam appellare contendunt, cum vere et realiter aliud non sint, nisi societates impiorum hominum, qui verbum Dei in iniustitia detinent. Nulla proinde cum sit vera societas religiosa nisi illa, quae sub uno Capite ac sub eisdem legibus ac sacramentis profitetur veram religionem Dei et Christi, nomen religiosae societatis nisi Ecclesiae Catholicae dare non licet. Atque ideo haec verba in sequentia possunt ac debent converti „Ad Ecclesiam tantummodo Catholicam ea pertinent etc."

67. Pag. 13. lin. 26. loco: „Ad nullam enim religiosam societatem praeter solam Catholicam Ecclesiam etc." ponatur: "Ad nullam enim religiosam communitatem praeter solam Ecclesiam Catholicam" etc.

68. Lin. 26. ponatur: „Ad nullam enim *aliam* religiosam societatem".

69. Pag. 13. l. 30. loco *evidentem* substituantur vox *certam* aut *indubiam*.

70. Pag. 13. lin. 33. tollantur „*Quin etiam Ecclesia per se ipsa*" et sequentia usque ad finem Paragraphi.

71. Lin. 24. dicatur: „Quin etiam Ecclesia per se ipsa, per suam nempe tum mirabilem propagationem, tum sanctitatem eximiam et in omnibus bonis inexhaustam foecunditatem, tum et catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam" etc.

72. Post verba *testimonium irrefragabile* (pag. 13. lin. penultima) haec vel alia addenda proponuntur: „tum iugi vaticiniorum de ea existentium complemento, tum mira sua origine et dilatatione, tum innumerabilium suorum martyrum testimonio, tum intemerata inter perennes infensissimosque hostes conservatione, tum doctrinae unitate, praecelsa plurimorum filiorum suorum sanctitate, certissimisque miraculis per eos patratis, quae absque peculiari Dei interventu explicari non possunt."

§ 6.

73. Pag. 14. lin. 1. seqq.: et ad se *eos* invitet, qui nondum crediderunt; et filios suos certiores *securioresque* faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam *profiteri gaudent*.

74. Parag. 6. lin. 3. loco: et ad se invitet, qui.... profitentur, ponatur: „*et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, quod fides, quam profitentur, firmissimo nititur fundamento*".

75. Pag. 14. lin. 3. post „certiores faciat" (mutetur) *de firmissimo fundamento, cui innititur fides*, quam profitentur.

76. Parag. 6. lin. 6. „Cui quidem testimonio efficacius etiam subsidium accedit" etc. substituendum: *quod quidem Ecclesiae testimonium*

efficacius etiam redditur virtute superna, quae fidem inspirat. Siquidem piissimus Dominus errantes gratia sua excitat.

77. Pag. 14. lin. 7. deleatur particula *etiam*.

78. Pag. 14. lin. 6. loco „Cui quidem testimonio efficacius etiam subsidium accedit ex superna virtute", ponatur : „Hoc quidem testimonium vim suam trahit ex superna virtute."

79. Lin. 7. post „subsidium accedit" (mutetur) *ex superno interiori auxilio*.

80. Pag. 14. lin. 8. Periodo, quae incipit: Siquidem piissimus Dominus etc. substituendum „*Etenim benignissimus Dominus, qui lumine gratiae suae nondum credentes allicit ad agnitionem veritatis, eos, quos de tenebris* transtulit in admirabile lumen suum" etc.

81. Pag. 14. lin. 9. pon.: „et" post „Dominus".

82. Pag. 14. lin. 10. dicatur : „gratia sua *excitat et adiuvat.*"

83. Lin. 17. pag. 14., mutentur verba illa : „Quocirca minime par est, etc." et dicatur :

„Mirabilis sane est et varia ratio divinae Providentiae, qua iuvat ho-„mines ad concipiendum rationabile iudicium de veritate Revelationis „a se factae ; tum quoad eos, qui abalienati a Magisterio infallibili Ec-„clesiae vagantur incerti inter opiniones privatas humani intellectus in „sectis acatholicis, tum quoad illos, qui a primo usu rationis, post sus-„ceptum habitum Fidei in lavacro baptismi, semper adhaeserunt doci-„les Magisterio divino, tamquam filii lucis. Quocirca nullam unquam „hi iustam causam habere possunt mutandi," etc. ut in Schemate.

84. Pag. 14. lin. 17. ubi sermo fit de discrimine Catholicorum et eorum, qui ad veram fidem non pervenerunt, apparet, quod iis relinquatur libera facultas dubitandi, ut ad veritatis agnitionem deveniant. Quod ita non est. Nam Apostolus Paulus, dum in Atheniensium Areopago verba ad philosophos de vera religione faceret, et novae, quam praedicabat, religionis illis rationem redderet, non dixit illis, debere homines de Deo dubitare, sed potius eum quaerere, si forte attrectent eum (Actor. Cap. 17. v. 27). Sic etiam de haereticis circa veram religionem ac de universis populis in praesentiarum dici potest, cum verae fidei praedicatio in omnes gentes facta sit, ac vere dici possit, quod in omnem terram exivit sonus Apostolorum ac in fines orbis terrae verba eorum (Psalm. 18. v. 5).

Praesertim tamen cum in his verbis error impetatur Hermesii, de quo sermonem facere necessarium non est, censetur, hanc doctrinam sic posse exprimi :

„Quocirca, quia manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod praedicatum est gentibus (I. Tim. Cap. 3. v. 16), et Dominus Noster Christus Iesus testatus est, omnia, quaecumque audivit a Patre, nota nobis fecisse (Ioan. Cap. 15. v. 15), et nos omnes vidimus gloriam eius quasi Unigeniti a Patre plenum gratiae ac veritatis (id. Cap. 1. v. 14), et donum fidei ab illo descendit, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio (Iacob. cap. 1. v. 17) : firmiter profitendum est eos omnes, qui donum verae fidei acceperunt, intellectum suum in obsequium fidei subiicere debere (II. Cor. cap. 10. v. 5), nulloque modo illis licere vel fidem, aut quaecumque Ecclesiae dogmata, in dubium revocare, aut eam mutare, multo autem minus contendere, ut per scientiam humanam ad mysteriorum coelestium cognitionem possint pervenire, cum Deus lucem inhabitet inaccessibilem, quam nullus hominum vidit nec videre potest (I. Tim. c. 6. v. 16).

Quae cum ita sint, gratias agentes Deo" etc.

85. Parag. 6. lin. 18. „quocirca minime par est conditio" subst.: „*quocirca re in se spectata minime par est* etc." vel omnibus inspectis „atque perpensis".

86. Pag. 14. lin. 19. pro „primae veritati" dic.: „revelatae veritati".

87. Phrasis *quocirca minime par est*, loco verbi *primae*, dicatur *catholicae*; non enim intelligitur, quid sonet vox *primae*. Probabiliter error Typographi.

88. Pag. 14. lin. 17. In sequenti propositione: *Quocirca minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum PRIMAE VERITATI* adhaeserunt, ac eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur:

1. Vox illa: *primae veritati* nullum prae se fert sensum: rectius ergo diceretur: *semel veritati adhaeserunt*.

2. Ista propositio evidentem inter duas personarum species distinctionem statuit, sed de ista distinctione nihil omnino agitur in secunda phrasis parte, quae sic se habet: *Nam nullam unquam iustam habere possunt causam mutandi, aut in dubium revocandi fidem, qui eam sub Ecclesiae magisterio susceperunt.* Ad prosequendum igitur parallelismum melius videretur dicere: *Isti enim, veritate detecta, errorem tenentur abiicere; illi autem nullam unquam habere possunt legitimam causam mutandi vel in dubium revocandi fidem quam ab Ecclesia susceperunt.*

89. Pag. 14. lin 23. loco: nam, pon.: illi enim.

90. Pag. 14. lin. 26. pro: qui eam. pon.: quam.

91. Conclusio capitis sit: E quibus facile omnibus perspicere erit, quam longe a vero aberrent, qui vel Deo auctoritatem abnuunt plenum revelationi suae obsequium a nobis exigendi, vel obsequium hoc praestitum a divina tantum in nobis actione repetunt, quin extrinseca credibilitatis motiva ullum in nostram voluntatem influxum exercere possint; aut ex adverso divinae gratiae necessitatem ad actum fidei excludunt, aut denique negant sive verae fidei necessitatem ad iustificationem, sive omnia, quae a Deo Ecclesiae suae concredita sunt, aeque esse credenda, sive omnibus perspicua esse posse credibilitatis motiva ac praesto esse divinae gratiae auxilia tum ad revelatam doctrinam amplectendam tum ad firmiter in ea, uti oportet, perseverandum.

92. Expediens foret hoc Caput 3. de fide statim post prooemium collocare; prius enim statuendum videtur, quid sit fides, et quaenam sit Ecclesiae auctoritas ad docendum, quam explicare, quid Ecclesia doceat.

CANONES.

Can. 1. et 4.

93. Inter Canones doctrinae in hoc capite expositae concordantes, nonnulli sunt, qui in incredulos, ab omni fide christiana, aut etiam a quacumque religione alienos incidunt, potius quam in haereticos; nempe primus et quartus. Quum autem *Ecclesia de iis, qui foris sunt, non iudicet, et qui non credit, iam iudicatus sit*, rectius forte canones supradicti supprimi possent, et post ipsammet doctrinae expositionem inseri declarationes, quibus ipsa asserta proscriberentur, videlicet: „Ab ea autem fide prorsus alienos ipsimet se profitentur, rectaeque rationi simul adversantur, qui dicere ausi sunt, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; miracula nulla fieri posse, proindeque omnes eiusmodi narrationes, etiam in sacra Scrip-

tura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari. Quae omnia et singula impia asserta, quum totius revelationis fundamenta diruant, nec satis reprobare possumus, nec satis dolere de sorte eorum, qui talia asserere non verentur, dicente Christo: *Qui non credit, iam iudicatus est*; *si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem exsusationem non habent de peccato*".

Can. 1.

94. S. q. d. rationis humanae tantam esse auctoritatem, ut ei fides a Deo imponi non possit; a. s.

95. Canon. 1. ita exprimatur: „Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut ea fidem Deo revelanti praestare non teneatur; anathema sit". Quia hoc modo ratio ipsa supponitur operari fidem praestando, quod magis comprobat eius dependentiam a Deo.

96. „Si quis dixerit, hominem in cognitione veritatis independentem „esse a divina Sapientia et Bonitate Creatoris sui, et non teneri, plenum „intellectus obsequium, et integram voluntatis obedientiam praestare auctoritati Dei revelantis; anathema sit".

97. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fidem Deo loquendi detrectare possit; anathema sit.

Can. 2.

98. Canon secundus clariori simplicitate sic exprimendus proponitur: Si quis dixerit ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.

99. S. q. d. fidem divinam a scientia rationali in rebus divinis et moralibus non esse diversam neque Dei revelantis auctoritati inniti; a. s.

100. „Si quis dixerit, ad fidem divinam non opus esse lumine super- „naturali Dei; adeoque, eam non distingui natura sua a scientia qua- „cumque, solo lumine naturali rationis adquisita; illamque idcirco ae- „qualis esse dignitatis ac certitudinis cum scientia naturali religionis; „anathema sit".

101. Ita dicatur: S. q. d. fidem divinam *a naturali de Deo et rebus moralibus* scientia non distingui, ac propterea ad *fidem divinam* non requiri etc.

Can. 3.

102. Si quis dixerit, Deum externis signis non reddidisse Revelationem divinam vere credibilem omnibus; adeoque homines sola interna experientia ad fidem moveri, secundum ordinariam divinae Providentiae legem: anathema sit.

103. Can. 3. l. 4. loco: „sola interna cuiusque experientia homines ad fidem moveri; anathema sit" ponatur: *sola interna cuiusque inspiratione privata homines ad fidem* etc.

104. S. q. d. revelationem divinam ex signis externis non esse vere credibilem, sed homines sola experientia interna ad fidem moveri: a. s.

105. In fine canonis 3. videtur addendum esse verbum „debere": „Si quis dixerit etc., ideoque sola interna cuiusque experientia homines ad fidem moveri debere; anathema sit" . . . Sunt enim aliqui, qui experientia interna moventur ad fidem, quin ipsis constet de externis divinae revelationis argumentis.

106. L. 4. pon. : ita ut fideles catholici *veram et iustam causam habere* possint fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium *vocandi*, donec demonstrationem credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint ; a. s.

Can. 4.

107. S. q. d. non posse fieri miracula et vaticinia, proindeque ea, quae huiusmodi in S. Scriptura narrantur, vera non esse, aut certo cognosci non posse ; a. s.

108. Sonet : Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, et ea, quae sive in S. Scriptura narrantur, sive a iudicio Ecclesiae probantur, esse fabulas vel mythos etc.

Can. 5.

109. L. 4. et 5. ponatur : persuasionem *naturalem* necessariis scientiae humanae argumentis magis inductam.

110. In canone quinto vox *necessariis* supprimatur, utpote inutilis et sensus ambigui.

111. Verba Canonis 5. „fidem, qua christiani evangelicae praedicationi consentiunt“, videntur subroganda per sequentia „assensum fidei Christianae“ . . . „Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse nisi persuasionem“ etc.

112. Si quis dixerit, fidem, qua. . . inductam ; aut lumen Dei supernaturale ad solam Fidem, quae per charitatem operatur, necessarium esse ; aut ad illam habendam non requiri, ex lege ordinaria, magisterium visibile Ecclesiae Catholicae ; anathema sit.

113. Can. 5. Ita exponatur „Si quis dixerit, fidem, qua Christiani evangelicae praedicationi consentiant, non esse nisi persuasionem necessariis scientiae humanae argumentis inductam, *absque ullo gratiae Dei auxilio*; aut tantummodo ad fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam necessariam esse ; anathema sit.

114. Pag. 24. in Canone 5. pro „*necessariis*“ ponatur „*firmis humanae scientiae argumentis*“.

115. S. q. d. fidem, qua Christiani praedicationi Evangelicae consentiunt, non esse nisi persuasionem humanae scientiae argumentis necessario productam, aut eamdem etsi mortuam absque gratia gigni posse ; a. s.

116. Can. 5. lin. 6. loco „ad fidem vivam“ ponatur : *ad habitum fidei vivae.*

Can. 6.

117. Canon vero sextus hic praetermittendus videtur, et inter canones de Ecclesia inserendus, propter superius exposita, si tamen admittantur, quae ea de re dicta sunt.

118. S. q. d. fidem a fidelibus licite assensu suspenso in dubium vocari posse, donec de ea, demonstratione scientifica firmam persuasionem sibi comparaverint, a. s.

119. Si quis dixerit, Fideles Catholicos rationabiliter posse fidem, quam sub Ecclesiae Magisterio iam susceperunt, assensu suspenso, in dubium vocare ; quod iidem careant argumento credibilitatis extrinsecae, quam Deus voluit omnibus, sive iis, qui [nondum fide illuminati sunt, sive iis, qui] iam illuminati sunt, communem esse, ex lege ordinaria a se statuta ; anathema sit.

120. Post Canonem 6. haec vel alia similis adnotatio, si Patribus placet, addenda videtur : Minime vero iis innuere intendimus, ne fideles motiva credibilitatis percurrant, cum ex eorum debita consideratione *maximum emolumentum*, sive ad eos firmandos in fide, sive ad alios adducendos ad fidem, percipere possint ; testimonia enim Dei credibilia facta sunt nimis !

Can. add.

121. „Si quis dixerit, non esse credenda fide divina et catholica ea omnia, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni iudicio, sive ordinario magisterio omnibus fidelibus tanquam fide divina credenda proponuntur ; anathema sit."

Can. add.

122. „Si quis dixerit, quidquid ab Ecclesia solemni iudicio tamquam fidei dogma definitum non sit, credi non posse nisi fide humana ; anathema sit."

Complément distribué le 6 avril à la 42e congrégation.

Inter emendationes pro capite III. Schematis de fide catholica omissa est sequens pag. 39. [pag. 369.] post 119. inserenda :

S. q. d. *quoad officium circa doctrinam revelatam* parem esse conditionem, etc.

Consideratis emendationibus, quae pro canone quinto eiusdem capitis propositae sunt, Deputatio pro rebus fidei canonem in hunc modum reformandum esse iudicavit :

S. q. d. assensum fidei christianae non esse liberum, sed necessariis humanae rationis argumentis produci ;

Aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse ; a. s.

Satis agitur perspicum est, in canone duos damnari distinctos errores, quorum alter libertatem fidei, alter gratiae necessitatem negat. E contextu verborum iam etiam apparet, necessaria dici argumenta, quae vim intellectui inferunt et ad assensum cogunt.

Quoniam hac canonis reformatione Rmis Patribus, qui emendationes 109-116 proposuerunt, satisfactum esse videtur, suffragia non de his singulis emendationibus, sed de ipso canone reformato petentur. Quodsi quis desideret, ut nihilominus emendatio a se proposita Patrum suffragiis subiiciatur, id Emis Praesidibus significare velit.

DOCUMENT XX

Rapports et votes sur les amendements du chapitre III.

Mgr Martin, évêque de Paderborn, présenta au nom de la Députation de la Foi, des rapports sur les amendements du chapitre III. Il parla le 6 avril, à la 42e congrégation, des quatre premiers paragraphes, et le 7 avril à la 43e, des paragraphes cinq et six et des canons. Il revint le 8, à la 44e congrégation, sur le 5e canon.

Relatio de emendationibus capitis tertii constitutionis dogmaticae de fide catholica.

1. Rapport et vote sur les amendements du 1er paragraphe (6 avril).

Relatio. R. P. D. Conradi Martin Episcopi Paderbornensis.

Eminentissimi Praesides, Emi ac Rmi Patres.

Animadversiones in caput tertium a rmis Patribus propositae a Deputatione pro fide omnes mature et religiose ponderatae sunt; ab eademque Deputatione mihi demandatae sunt partes, de istis animadversionibus quid ipsa sentiat ad vos, Rmi Patres, fideliter referre. Res est difficilis, et vires meae sunt tenuissimae. Rogo igitur vos, Rmi Patres, humiliter ut ea quae non meo nomine sed nomine Deputationis, quam ipsi constituistis, pro tenuitate mea vobis offeram, pro consueta vestra benevolentia benigne excipiatis.

Priusquam autem ad relationem ipsam transgrediar, mihi non abs re videtur paucissimis verbis indicare, quid Deputatio fidei in hoc tertio capite conficiendo sibi proposuerit, et quonam vinculo singulae eius partes sive paragraphi inter se connectantur, quo in maiori luce collocentur propositiones ipsae, quae nomine Deputationis vestro sapientissimo iudicio substernendae sunt. Deputatio igitur de fide sibi proponit, in hoc capite tertio exponere doctrinam catholicam de fide; sed quod bene notandum est, non eam completam et absolutam, sicuti in theologico aliquo tractatu exhibenda foret, sed potius contractam ad illa puncta, quae hodiernis circa fidem erroribus opponuntur. Quamplura igitur, quae de hac materia revera dici possent, intuentes hunc nobis propositum finem excludere debuimus. Conspectus autem totius capitis tertii et internus paragraphorum nexus sequens est.

Prima paragraphus in prima sua parte hoc caput nectit cum capite praecedenti, quod agebat de revelatione divina, declarando revelationi ex parte Dei respondere ex parte hominis fidem. In hac igitur prima capitis parte intentio non erat omnia et singula fidei motiva explicare; sed tantummodo indicanda erat radix sive fundamentalis ratio obligationis Deo revelanti fidem praestandi. Haec autem radix, haec fundamentalis ratio obligationis humanae Deo fidem praestandi aperte posita est in eo, quod Deus sit supremus auctor, quod Deus sit creator noster, quod Deus sit Dominus supremus noster, a quo toti cum omnibus viribus nostris dependemus. Haec igitur est intentio primae partis huius primae paragraphi.

Secunda pars huius primae paragraphi ipsius fidei in se spectatae genuinam exhibet definitionem, eamque confirmatam s. Pauli Apostoli ad Hebraeos auctoritate. Sed, ut nos omnes scimus, propria ratio fidei posita est in motivo seu in obiecto suo formali, nempe in auctoritate Dei loquentis; quo quidem motivo fides a scientia naturali essentialiter distinguitur. Hac igitur fidei definitione excluditur capitalis error rationalistarum, qui etiamsi de fide loquantur, tamen fidem proprie dictam negant; negant enim omne motivum fidei in se spectatae, tollunt auctoritatem Dei loquentis, et si de fide religiosa loquuntur, intelligunt fidem eo sensu ut est tantummodo persuasio exorta ex naturali scientia, aut ex intrinseca veritate rerum perspecta. Igitur re tollunt fidem proprie dictam, quia tollunt auctoritatem Dei loquentis, quia tollunt motivum sive obiectum formale fidei. Quia vero rationalistae hanc fidem proprie dictam, quae auctoritati Dei innititur, tanquam rationi contrariam reii-

ciunt, recte et rationi consentaneam fidem adhiberi locutioni divinae munitae quidem evidentibus signis credibilitatis paragraphus secunda docet.

Docet ergo paragraphus secunda fidem rationi consentaneam adhiberi locutioni divinae munitae quidem evidentibus signis revelationis. Per hanc igitur secundam paragraphum duplex error excluditur ; ex una parte error rationalistarum, ex altera parte error illius falsi pietismi, qui unice ad internam experientiam, ad internum testimonium Spiritus sancti, vel ad immediatam certitudinem provocat. Licet vero motiva credibilitatis per se *evidentia sint fideique obsequium rationi prorsus* congruum, tamen fides a voluntate imperatur manetque semper actus liber ; ita ut etiam ad eam, ad hanc fidem praeveniens et adiuvans gratia requiratur, et donum Dei sit fides in se spectata : qua quidem declaratione excluditur error Hermesii, de quo postea dicam quod necessarium erit.

Iam vero constituta fidei ipsius natura et genuina notione, paragraphus quarta determinat fidei obiectum materiale, scilicet declarando *omnia* credenda esse,quae Deus revelavit et per Ecclesiam quomodocumque nobis credenda proponit. Nam, Rmi Domini, motivum fidei, scilicet auctoritas Dei loquentis et obligatio hominis Deo credendi sese extendit ad omnia, quae a Deo revelata esse *quomodocumque* per *magisterium* Ecclesiae nobis certo constiterit. Qua doctrina excluditur error eorum, qui articulos fidei formaliter definitos tantummodo divina fide credendos esse volunt, itaque summam credendorum quasi ad minimum reducere student.

Iam vero explicata natura fidei et determinato obiecto eius tam formali quam materiali, sequitur in paragraphi quintae doctrina de fidei necessitate, deque stricta hominis obligatione sicuti eam amplectendi, ita et in ea perseverandi. In altera parte eiusdem paragraphi quintae explicatur quomodo Deus nobis ad implendum fidei officium auxilietur, instituta scilicet sua Ecclesia, quae quasi concreta est divina revelatio exhibens nobis cum veritatibus credendis etiam motiva credibilitatis. Huic magnae revelationis manifestationi accedit iuxta paragraphum sextam auxilium internae Dei gratiae, quae non credentes ad credendum excitat, et credentes in fide confirmat. Qua quidem doctrina ille late diffusus error capitalis excluditur, qui fidelibus ius vindicat, susceptam fidem in dubium vocare et assensum suum suspendere, donec de veritate fidei scientificam sibi comparaverint persuasionem. Talis igitur, Rmi Patres, est nexus singularum partium huius capitis, ex quo singulae periodi, singulae *sententiae suam lucem accipiunt*. Iam vero ad paragraphos singulas, et ad singulas in eas emendationes transgrediamur.

Igitur ad primam emendationem. Primae paragraphi haec prima emendatio, incipiens : *Cum homo a Deo, tamquam creatore suo et Domino totus pendeat, et ratio creata etc.* usque ad finem, haec prima emendatio, ut videtis, Rmi Patres, est omnigena mutatio textus a nobis exhibiti. Omnia, quae clarissimus huius emendationis auctor in medium profert, per se sunt verissima, et ingenue fateri debeo, etiam pulcherrime dicta ; sed singulas partes capitis et singulas sententias alio ordine nectit, atque eo quem Deputatio de fide servandum esse censuit relate ad errores, qui hoc capite erant excludendi. *Atque ob hanc* causam Deputatio integram hanc emendationem propositam non censuit admittendam. Attamen nonnulla ex hac pulchra expositione, potissimum quae ad stylum atti-

nent, gratissimo animo in postrema capitis redactione in usum suum convertet, si Patribus ita placebit. Rogamus igitur, quod haec prima emendatio non admittatur.

Emendatio 2ª quae incipit verbis : *Hoc autem fidei obsequium etc.* Illmus auctor huius emendationis, quae ex duabus partibus constat, primum desiderat ut omnia, quae de Ecclesia in hoc capite exposita sunt, transferantur in schema de Ecclesia. Sed censuit Deputatio, aliqua de Ecclesia etiam hoc loco, ubi de fide agitur, esse praelibanda, ut quae sint prorsus necessaria ad accuratam fidei descriptionem. Igitur quod ad primam huius emendationis partem attinet, non censet Deputatio huic esse satisfaciendum. Quod ad secundam huius propositionis partem, scilicet ad propositam illam emendationem, quae incipit verbis : *Hoc autem fidei obsequium ita ad salutem necessarium est, Apostolo teste etc.*, nonnulla in ea desiderantur, quorum mentio nobis necessaria videtur ad excludendos temporis huius errores ; ex. gr. desideratur illud punctum, quod fideles fidem susceptam non in dubium vocare debeant. De hac re non est sermo in hac emendatione ; et tamen hoc nobis videtur punctum necessarium, cuius mentio debeat fieri in hoc capite. Ex hac ratione censuit Deputatio, hanc propositionem quamquam bene conceptam, tamen non esse admittendam.

Iam venimus ad emendationem 3am. Etiam hanc emendationem Deputatio non censuit admittendam esse, et ratio haec est. Hoc loco, nempe initio huius capitis, ut iam dixi, non agitur de enumerandis singulis et omnibus motivis fidei, nullatenus ; sed, ut iam exposui, agitur tantummodo de indicanda fundamentali ratione obligationis nostrae Deo fidem praestandi. Etiam nonnulla alia emendatio tertia continet, quae demum in sequenti capite tractanda sunt, nempe de adiumento quod fides scientiae naturali praestat ; nam de hoc argumento loquitur sequens caput, quod tractat punctum de fide et scientia : haec iam hoc loco non sunt anticipanda. Ex his causis non censuit Deputatio, hanc emendationem tertiam admittendam esse.

Non aliter potuit Deputatio sentire de emendatione 4ª et 5ª : *Quum homo Deo tanquam supremo suo auctori* ; et de altera : „Quum homo a Deo... subiecta sit“ ponatur ita : *Quum homo a Deo tanquam supremo suo auctore.* Dico igitur, etiam de his duabus emendationibus non aliter potuit iudicare Deputatio, et eius sententia negativa est ; cum hae duae emendationes ideam, quae hoc loco exprimenda fuit, non meliori modo exprimere videantur. Sed placuit Deputationi alia forma, de qua infra sermo erit, qua speramus etiam illustrissimis auctoribus harum duarum emendationum satisfactum iri. Infra de hac alia forma referam ; nunc autem nomine Deputationis vos, Rmi Patres, rogo ut etiam has duas emendationes non accipiatis.

Venimus iam ad emendationem 6am, quae proponit, ut pro „supremo suo auctore“ substituatur vox : *creatore.* Et haec quidem sexta emendatio a Deputatione acceptatur, et commendat vobis hanc sextam emendationem.

Progredimur ad emendationem 7am. Illmus auctor huius emendationis proponit ut linea 2 et 3 paginae 11 post verba „increatae rationi“ inserantur verba : *quae est ipsa veritas.* Quum autem nonnulli rmi Patres offendantur verbo *rationi* ad Deum translato, quia omnino strictissimo sensu hoc verbum *ratio* ad Deum non quadrat ; censuit Deputatio et horum rmorum Patrum, et huius nostrae emendationis clarissimi auctoris votis simul satisfieri posse, si pro verbis „increatae rationi“ subs-

tituerentur verba : *increatae veritati.* Proponit igitur Deputatio rmis Patribus, ut hanc septimam emendationem iuxta hunc modum, ut scilicet pro verbis „increatae rationi" ponantur verba : *increatae veritati*, acceptent.

Iam progredimur ad emendationem 8am, quae quidem emendatio proponit, ut pro „pendeat" ponatur *dependeat*; et hanc quidem emendationem censuit admittendam esse Deputatio de fide. Sed quum sit res styli, non opus erit suffragia rmorum Patrum rogare hac de re.

Venimus ad duas sequentes emendationes, ad emendationem 9am et 10am. Etiam hae duae emendationes cohaerent. Nona emendatio vult ut „et" ponatur ante „plenum" et omittatur antea : decima vult ut in linea 3 ad indicandam magis causam logicam, nexum logicum pro „et" ponatur *ideoque*. Etiam hae duae emendationes tantummodo ad stylum pertinent ; et Deputatio censuit textum retineri posse, ideoque illas non esse admittendas.

Iam, Rmi Patres, sequuntur tres emendationes, quae omnes secum possunt coniungi, sunt enim 11a (*a*) 11a (*b*) 11a (*c*). Omnes hae emendationes possunt coniungi, quum omnes ad eamdem rem pertineant. Proponunt enim ut pro „subiecta sit" ponatur : *subiecta esse debet* sive *debeat*, ut officium et ratio moralis exprimeretur. Sed Deputatio censuit, has emendationes non esse admittendas. Nam hoc loco, Rmi Patres, non tam agitur de officio, quod ex dependentia nostra et subiectione nostra erga Deum exoritur ; sed hoc loco agitur de hoc ipsa subiectione naturali et omnigena, de ipsa subiectione naturali est sermo, ex qua quidem subiectione omnino sequitur tunc etiam officium. Sed cum hoc loco sermo sit de hac ipsa subiectione, ideo non censuit Deputatio, hanc emendatationem acceptandam esse.

Iam venimus ad emendationem 12am. Proponitur ut post verba „subiecta sit" inserantur verba : *cumque Deus veritas sit ipsa et sanctitas*. Verissima quidem sunt quae huius emendationis clarissimus auctor pro hac sua emendatione in medium protulit ; sed ut iam ante relationem meam vobis, Rmi Patres, exposui, initio huius capitis nempe hoc loco non agitur de enumerandis omnibus et singulis motivis fidei, sed tantummodo agitur de exprimenda fundamentali ratione obligationis Deo fidem praestandi ; et haec fundamentalis ratio, ut iam dixi, posita est in creatione nostra per Deum : hoc erat punctum saliens. Et hac ex causa credit Deputatio, hanc emendationem excludendam hoc loco esse ; nam in textu etiam aliquid tale occurrit, siquidem et nos dicimus in textu quod Deus non falli potest nec fallere, quod eodem redit. Ideo petimus ut haec emendatio non acceptetur.

Iam venimus ad emendationem 13am. Illmus auctor huius emendationis proponit, ut linea 5 pro verbis „intellectus et voluntatis" ponantur verba *rationis* et *voluntatis* ; igitur pro verbo *intellectus* verbum *ratio*. Sed, Rmi Patres, Deputatio censuit posse etiam textum manere ; praesertim cum vox *ratio* modo in eadem phrasi iam sit adhibita. Igitur hac de causa non censuit Deputatio, hanc emendationem esse admittendam. Sed cum res sit tantum styli, non erit opus de hac emendatione rmorum Patrum suffragia exquirere.

Iam venimus ad emendationem 14am. Illmus auctor huius emendationis vult, ut lin. 6 pro verbo „obsequium" ponatur verbum *assensum*. Sed, Rmi Patres, verbum *obsequium* nobis hoc loco scopo nostro magis congruere videtur ; nam accuratius hoc verbum *obsequium* exprimit hominis subiectionem erga Deum, de qua hoc loco agitur. Petimus igitur, ut haec etiam emendatio praetermittatur.

Iam sequentes tres emendationes coniungi possunt, nempe emendatio 15ª, emendatio 16ª (*a*) 16ª (*b*). Emendationem 15ᵃᵐ, quae sic formulat textum mutandum : *revelante se Deo, plenum ei intellectus et voluntatis obsequium fidei praestare tenemur*, aliquo modo acceptat Deputatio de fide. Omnino duriuscula erat phrasis, quae in textu est ; et credo quod haec causa sit, quod plurimi Patres hac formula nostri textus offendebantur. Igitur illmus auctor huius emendationis 15ᵃᵉ vult, dicatur : *revelante se Deo, plenum ei intellectus et voluntatis obsequium fidei praestare tenemur*. Igitur hanc emendationem censuit Deputatio admittendam esse, sed cum hac parva modificatione, ut sic dicatur : *plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur*.

Nam non bene sonabat duplex genitivus *intellectus*, *voluntatis* et *fidei* ; et sic ut duplex male sonans genitivus evitetur, hanc novam modificationem huius propositae formulae esse introducendam putamus. Igitur phrasis sic sonaret : *plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide* (ablativus pro genitivo *fidei*) *praestare tenemur*. Hac emendatione sic modificata satisfieri censemus etiam auctoribus emendationum 16ᵃᵉ(*a* et *b*) ; cum auctores harum duarum emendationum maxime offenderentur formulae stylo ac difficultate, quae nunc evitatur. Igitur. credimus, auctoribus etiam harum duarum emendationum satisfieri acceptando modificationem a nobis propositam : et rogamus rmos Patres, ut iuxta hanc modificationem hae tres emendationes acceptentur.

Iam venimus ad emendationem 17ᵃᵐ, quae proponit, ut linea 10 pro verbo „virtutem" ponatur verbum *assensum*. At non censuit Deputatio, hanc emendationem admittendam esse ; et ratio haec est, quia omnino hoc loco de virtute fidei agitur, non de actu ; et ut haec idea exprimatur opportunior nobis videbatur haec vox *virtutem* : fides est virtus supernaturalis.

Iam sequuntur emendationes 18ª (*a* et *b*). Has duas emendationes censemus admittendas esse, sed utramque cum parva quadam modificatione ; nempe in emendatione 18ª quae sic sonat : *Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non quidem propter perspectam intrinsecam rerum veritatem, sed propter auctoritatem revelantis qui nec falli nec fallere potest*, proponimus hanc parvam modificationem, ut in hac formula vox „quidem" omittatur lin. 2, et ut ex 20ª emendatione ; *non ob discursivam, quae per naturale rationis lumen percipi potest, rerum veritatem etc.* verba illa „per naturale rationis lumen" textui inserantur ita : *naturali rationis lumine*. Hac emendatione cum modificatione acceptata satisfieri credimus etiam intentioni sequentis emendationis 18ᵃᵉ (*b*), qua etiam proponitur ut dicatur : *nec falli nec fallere potest*. Rogamus igitur ut duae propositae emendationes acceptentur cum dicta modificatione, ita ut 18ª emendatio haec esset : *Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam etc.* Sed verba *naturali rationis lumine* desumpsimus, ut iam dixi, ex emendatione 20ª ; et censuimus opportune haec verba textui nostro inserenda esse, ut omnis tollatur ambiguitas.

Iam venimus ad emendationem 19ᵃᵐ. Auctor illustrissimus dicit : *Desideratur ordo logicus accuratior, et ut non truncata adferatur definitio fidei ab Apostolo tradita.* Quod hanc propositionem attinet, in prima sua parte exprimitur tantum desiderium, non exhibet formulam ; ita ut eius ratio haberi non possit. Sed secunda pars propositionis, scilicet ut

non truncata afferatur definitio fidei ab Apostolo tradita, legitima est: et proinde huic secundae parti, ut textus integer ex Apostolo citetur, satisfaciendum esse Deputatio censuit. Igitur verba ex Apostolo Paulo citata ita sonant: *Est autem fides sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*, sicut in emendatione 24a exposita sunt. Igitur, Rmi Patres, a vobis petimus ut hoc sensu emendationem ipsam accipiatis, id est, petimus ut propositio in prima parte excludatur, in secunda parte admittatur, nempe ut citetur integer textus ex Apostolo Paulo.

Venimus ad emendationem 20am. Sed de hac emendatione iam locuti sumus, cum ex illa desumenda esse proposuimus verba: *per naturale rationis lumen*, et textui inserenda. Igitur hac in parte etiam huic emendationi satisfactum erit, si vos, Rmi Patres, nostram propositionem acceptabitis: ita ut tum non opus sit exquirere suffragia super hac vicesima propositione.

Iam venimus ad emendationem 21am. Illmus auctor huius emendationis proponit, ut ad tollendam quamvis ambiguitatem linea 21 verbo „perspiciamus" adderetur verbum *interdum*. Sed ingenue fateor, ratio, ex qua auctor hanc additionem desiderat, ad finem propositum non pertinere videtur. Nam etiamsi omnes veritates perspiceremus, etiam tunc motivum fidei non esset intrinseca perspectio veritatis, nullatenus; sed semper maneret motivum auctoritatis Dei loquentis. Igitur hoc loco non agitur quaestio, num aliquas veritates revelatas possimus perspicere, haec quaestio nullatenus tangitur; et hac ex causa petimus, ut ratio non habeatur huius propositionis.

Iam venimus ad emendationem 22am, quae proponit loco „nec fallere nec falli" ut dicatur: *nec falli nec fallere*; et huic emendationi iam satisfactum erit acceptando emendationem 18am (*a*), ideoque, si vobis, Rmi Patres, placebit illam emendationem acceptare, non opus erit de hac, de qua nunc agitur, suffragia ferre.

Iam venimus ad emendationem 23am: *Est enim fides testante Apostolo etc.*; etiam huic emendationi satisfactum erit, si acceptabitur a vobis emendatio 19a, tunc neque de hac exquirenda essent suffragia.

Iam progredimur ad emendationem 24am. Proponit alium textum: *est autem fides sperandarum substantia rerum.... haec est catholica fides, qua sancti Dei homines....* usque ad finem. Verissima sunt, quae Illmus auctor in medium profert, et bene dicta sunt, pulchre dicta sunt, sed ad rem propositam nobis non videntur pertinere: ideoque Deputatio censuit, hanc etiam emendationem quamquam bene conceptam non esse acceptandam

Iam venimus ad ultimam emendationem huius primae paragraphi, quae haec est, ut verbo „apparentium" haec phrasis addatur: *quo certo utpote Dei ipsius supremae veritati et veracitati innixo, dari firmius, vel excogitari aliud nullum potest*. Haec quidem propositio explicationem textus continet, bonam explicationem omnino; sed Deputatio censuit, eam quamquam bonam, tamen hoc loco non esse utilem; ideoque credidit Deputatio etiam hanc emendationem non esse admittendam.

Peracta hac prima relationis parte, emus primus Praeses dixit:

„Rmi Patres, procedamus nunc ad suffragia ferenda de emendationi-„bus huius paragraphi, quas R. D. Subsecretarius singillatim praele-„get, ut postea de singulis exquirantur suffragia".

Quod Subsecretarius exsequens, easdem more solito perlegit, et cum

duplici experimento singulae subiicerentur, hic suffragiorum exitus fuit.

Primam emendationem, secundam quoad utramque partem, tertiam, quartam et quintam fere omnes excluserunt. Sextam fere omnes admiserunt. Septimam quoad primam partem longe maior pars admisit; quoad secundam partem fere omnes admiserunt iuxta modum tamen, nimirum dicendo : *increatae veritati*, sublatis verbis „increatae rationi". Octavam non proposuere Praesides, quia nonnisi de stylo erat. Nonam fere omnes reiecerunt. Decimam longe maior pars exclusit. Undecimam (*a-b-c*) et duodecimam, decimam tertiam et decimam quartam fere omnes excluserunt. Decimam quintam fere omnes admiserunt iuxta modum a relatore propositum, ut scilicet diceretur : *plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur*. Hac autem emendatione admissa satisfactum erat emendationibus sub numero 16° (*a* et *b*), quae idcirco propositae non sunt. Decimam septimam fere omnes reiecerunt. Decimam octavam (*a*) fere omnes admiserunt iuxta modum, ut scilicet diceretur : *Dei adspirante et adiuvante gratia ab eo revelata vera esse credimus non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem revelantis, qui nec falli nec fallere potest*. Decimam octavam (*b*) non proposuere Praesides, quia ei satisfactum iam fuerat per admissionem antecedentis emendationis. Decimam nonam quoad primam partem pariter non proposuere Praesides, quia simplex desiderium exhibet et nullam formulam habet; quoad secundam vero fere omnes admiserunt. Vicesimam non proposuere Praesides, quia ei etiam satisfactum fuerat per admissionem emendationis positae sub numero 18° (*a*). Vicesimam primam omnes excluserunt. Vicesimam secundam non proposuere Praesides, quia ei satisfactum fuerat admittendo emendationem sub numero 18° (*a*). Vicesimam tertiam pariter non proposuere, quia provisum fuerat in acceptatione secundae partis emendationis decimae nonae. Vicesimam quartam et vicesimam quintam fere omnes reiecerunt.

Post haec emus primus Praeses iterum vocavit ad ambonem rmum relatorem his verbis :

„Ascendat ambonem R. D. Episcopus Paderbornensis, ut prosequatur „relationem nomine Deputationis pro rebus fidei faciendam de secunda „ac tertia paragrapho huius tertii capitis."

II. Rapport et vote sur les amendements du second et du troisième paragraphe (6 avril).

Relatio R. P. D. Conradi Martin Episcopi Paderbornensis.

Venimus iam ad emendationem 26am. Haec emendatio, scilicet ut dicatur : *Ut nihilominus fidei nostrae etc.* talia admiscet textui, quae quamquam per se bona, tamen ad hunc locum non pertinent, ideoque Deputatio hanc emendationem censuit esse excludendam,

Sequitur emendatio 27a. Haec emendatio ex duabus partibus constat; in prima sua parte ea non novum aliquid, quod ad rem pertineat, in medium profert ; ideoque in hac prima sua parte censuit Deputatio eam non esse admittendam. Sed in secunda parte quae incipit a verbis : *Quare tum Moyses et prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula prophetiasque ediderunt etc.* rem propositam melius tangit eamque in clariori luce ponit ; ideoque in hac secunda parte Deputatio eam admittendam censuit. Optat tamen ut postremus

citatus locus ex prophetia Isaiae : *Annuntiate etc.* mutetur cum loco ex secunda epistola s. Petri cap. I. v. 19 qui locus sic sonat : *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris* ; qui locus nobis apprime quadrare videtur ad propositum, ideoque optat Deputatio, ut locus in textu nostro citatus et citatus etiam in emendatione proposita, commutetur cum eo, quem citavi ex epistola secunda s. Petri cap. I. v. 19.

Iam venimus ad tres emendationes 28am, 29am et 30am, quae omnes, quia ad eamdem rem pertinent, possunt coniungi. Sed 28a non aliud dicit, quam textus ; idem dicendum est de 30a quae sic sonat : *Ut vero fidei nostrae obsequium ipsi quoque rationi congrueret etc.* quae quidem emendatio eo potissimum a textu differt, quod adiungi vult voci „rationi" vocem *quoque*, ut appareat quod fides (haec est enim ratio, quam attulit Illmus auctor) auctoritati Dei innitatur, sed nihilominus sit rationi consona. Sed hoc additamentum Deputationi superfluum videbatur quia id per se patet. Denique quod ad emendationem 29am pertinet, quae proponit ut ponatur : *Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi esse consentaneum posset demonstrari* etiam hanc additionem scilicet verborum : *posset demonstrari* censuit Deputatio, ad finem nostrum necessario non pertinere. Nam hoc loco non agitur de personis variis actum fidei elicientibus, sed agitur de fide in se spectata ; et de hac fide in se spectata omnino iure dici potest, quod textus de ea dicit, nempe quod sit rationi consentanea. Rogamus igitur rmos Patres, ut has vanas propositiones non acceptent.

Iam venimus ad emendationem 31am. Illmus auctor huius emendationis substitui vult pro vocabulo „auxiliis" vocem *operatione*, ut scilicet magis designaretur primariam partem actus fidei esse gratiae. Sed, Rmi Patres, vox „auxiliis" intentum sensum non excludit, quia latius patet, et est vox usitatissima etiam hoc nostro sensu intento in lingua Ecclesiae. Ideoque rogamus ut emendatio excludatur.

Iam venimus ad emendationem 32am (*a* et *b*). Has duas emendationes admittendas esse censuit Deputatio de fide, ut scilicet poneretur verbum *prophetiae* pro verbo „vaticinia".

Veniamus ad emendationem 33am. Illmus et clarissimus auctor huius emendationis substituendam vult vocem *omniscientiam* voci „sapientiam" ex hac ratione, quia melius *omniscientia* quam *sapientia* Dei quadrat ad prophetias. Esset quidem optima vox, si satis latina foret. Proponit igitur Deputatio, ut pro hac proposita voce, et pro voce „sapientia" quae est in textu, acceptetur vox : *infinitam scientiam* ; qua emendatione et huic et subsequenti propositioni satisfit. Rogamus igitur, ut acceptetur emendatio 33a cum dicta modificatione.

Venimus ad emendationem 34a (*a*). Huic propositioni per praecedentem iam satisfactum est, ita ut non opus sit de ea exquirere suffragia, si acceptabitur 33a.

Iam veniamus ad duas emendationes quae possunt coniungi, nempe ad emendationem 34am (*b*) et ad 36am, nam animadverto, Rmi Patres, numerum 35um per errorem fuisse praetermissum. Igitur quod attinet ad has duas emendationes 34am et 36am, Deputatio censet esse admittendas, et quidem iuxta hunc modum, ut pro „divinae locutionis" ponatur : *divinae revelationis*. Haec proponenda erant de paragrapho secunda.

Iam venimus, Rmi Patres, ad emendationem 37am, quae proponit ut verba „licet autem non crederemus nisi videremus esse credendum"

supprimerentur. Sunt quidem haec verba desumpta ex S. Thoma Aquinate et defendi possunt certissime; sed quia non sunt necessaria, censuit Deputatio hanc emendationem esse admittendam.

Emendationem 38am, quae vult ut verba „atque adeo fidei assensus nequaquam sit motus etc.“ deleantur. Si praecedens emendatio acceptatur, totus locus, quem Illmus auctor huius emendationis supprimendum esse proponit, scilicet haec verba quae lecta sunt „atque adeo etc.“ tunc non poterunt supprimi. In eo autem potest voto Illmi auctoris satisfieri, ut posteriora verba „et ab intellectus operatione disiunctus“ deleantur. Igitur quoad hanc partem emendatio a Deputatione commendatur.

Iam venimus ad quinque sequentes emendationes propositas, quae omnes possunt coniungi, quia omnes ad eamdem rem spectant. Sunt nempe emendationes 40a, 41a, 42a, 43a et 44a. Censuit Deputatio acceptandam esse 42am, ita ut textus mutetur in hunc modum: *quare fides ipsa in se, etiamsi non* (animadverto enim, Rmi Patres, quod Deputationi fidei haec vox *non* praeplacuit voce textus „nondum“ ut scilicet nobis non possit attribui opinio, ac si habitus fidei possit esse in animo ante iustificationem) *quare fides ipsa in se, etiamsi non per charitatem operetur, donum Dei est et actus eius opus ad salutem pertinens*. Hac propositione acceptata, etiam caeteris omnibus satisfit, ideoque exclusae sive acceptatae habentur. Rogamus igitur, ut primum de emendatione 42a suffragia exquirantur, et ut, si haec acceptatibur, tunc non fiat scrutinium super caeteris, nimirum super emendationibus 40a, 41a, 43a et 44a.

Haec de propositionibus, quae pertinent ad paragraphum tertiam.

Post hanc alteram relationis partem de singulis emendationibus in secundam et tertiam paragraphum, emus primus Praeses dixit:

„Procedamus nunc ad suffragia ferenda de emendationibus secundae „et tertiae paragraphi, quas R. D. Subsecretarius singillatim praeleget, „ut postea de singulis exquirantur suffragia.“

Perlectis autem emendationibus et duplici experimento subiectis iuxta methodum et ordinem superius expositum, vicesimam sextam et primam partem vicesimae septimae fere omnes reiecerunt; secundam vero partem eiusdem vicesimae septimae emendationis, paucissimis exceptis, omnes admiserunt, iuxta modum tamen, ut nimirum substituerentur verba II. Petri 1, 19: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco*. Vicesimam octavam, vicesimam nonam, tricesimam et tricesimam primam fere omnes excluserunt. Tricesimam secundam (*a* et *b*) fere omnes admiserunt. Tricesimam tertiam admiserunt fere omnes iuxta modum tamen, ut scilicet nec *sapientiam* nec *omniscientiam* diceretur, sed *infinitam scientiam*. Tricesimam quartam (*a*) non proposuere Praesides, quia provisum fuerat per admissionem antecedentis emendationis. Tricesimam quartam (*b*) et tricesimam sextam fere omnes admiserunt at iuxta modum, dicendo scilicet: *divinae revelationis*, loco „divinae locutionis“. Tricesimam septimam et tricesimam octavam fere omnes admiserunt. Tricesimam nonam non proposuere Praesides, quia ei in antecedenti emendatione admissa iam satisfactum fuerat. Quadragesimam, quadragesimam primam, quadragesimam secundam, quadragesimam tertiam et quadragesimam quartam simul proposuere Praesides, ita tamen ut omnibus satisfieret per acceptationem emendationis quadragesimae secundae iuxta modum tamen, dicendo scilicet: *quare fides ipsa in se, etiamsi non per charitatem operetur, donum Dei est et actus eius est opus etc.*

Emendationem huiusmodi hac ratione propositam fere omnes admiserunt.

Post haec, rmus Episcopus Paderbornensis iussu emi Praesidis ambonem ascendit et de emendationibus loquutus est, quae quartam paragraphum dicti capitis respiciunt.

III. Rapport et vote sur les amendements du quatrième paragraphe (6 avril).

Relatio R. P. D. Conradi Martin Episcopi Paderbornensis.

Venimus nunc, Rmi Patres, ad quartam paragraphum, non quod in se difficilis haec sit, sed difficilis tractatu pro nobis ; quia intentio primaria, quae in concipienda hac paragrapho Deputationi erat, non ab omnibus rmis Patribus bene intellecta fuit. Ita multo plures sunt obiectae difficultates, de quibus difficultatibus removendis nunc agitur. Omnes emendationes in hanc paragraphum quartam ad eumdem finem pertinent, et possunt coniungi, nempe a 45a usque ad 53am inclusive, quia omnes emendationes ad eumdem finem spectant. Hae omnes emendationes Deputationi pro fide videbantur conciliari posse, ut primum ex emendatione 50a quae proponit, ut ad verbum „magisterio" apponantur verba : *publico et universali,* desumatur vox *universali,* et textui inseratur. Ratio enim quare optamus, ut haec vox *universali* apponatur voci „magisterio" textus nostri, haec est ut scilicet ne quis putet, nos loqui hoc loco de magisterio infaillibili s. Sedis apostolicae, hoc magisterium infallibile opponendo nempe conciliis generalibus. Nam nuper honorem habui vobis ex hoc loco declarare, quod nullatenus ea fuit intentio Deputationis, hanc quaestionem de infallibilitate summi Pontificis sive directe sive indirecte tangere ; et hoc igitur verbum *universale* idem fere significat, quod illud verbum, quod SSmus Pater in suis litteris apostolicis ipse adhibuit, nempe magisterium totius Ecclesiae per orbem dispersae. Igitur ad hanc sinistram opinionem removendam censuimus opportune ex illa emendatione 50a illam vocem *universali* sumi et textui nostro inseri.

Et haec quidem prima medela est, quam voluimus adhibere huic loco ; et deinde ut SSmi Patris Nostri verba ex litteris apostolicis ad Archiepiscopum Monacensem anno 1863 datis desumpta, scilicet *tanquam divinitus revelata* inserantur post vocem magisterii. Iam igitur talis phrasis sic sonaret : *Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.* Hac enim modificatione, sive potius additione duarum partium, nempe *universali,* et horum verborum quibus usus est SSmus Pater, primo desiderio plurium rmorum Patrum, qui de hoc loco locuti sunt, satisfit, ne scilicet scholarum opiniones, quae per scholas catholicas traduntur, etiamsi certae, inserantur doctrinae fidei ; nam si dicitur Ecclesiam aliquid docere tanquam divinitus revelatum, non est possibile esse solummodo opiniones scholae. Secundo hac modificatione totum obiectum materiale fidei divinae pressius determinatur, atque erroribus temporis obviam itur. Nam ad hos excludendos errores tota paragraphus, ut aliqui rmi Patres voluerunt, non potuit bene praetermitti. Propositionibus vero illis, ut exempli gratia emendationi 46ae quae ordinem inter hanc et sequentem paragraphum attingunt (nam auctor emendationis 46ae proponit. alium ordinem servandum inter has duas paragraphos), inter has et illas propositiones

(nam sunt plures auctores qui desiderabant ut alius ordo servaretur), iis propositionibus dico, quae ordinem inter hanc et sequentem paragraphum attingunt, censuit Deputatio satisfactum iri hac mutatione, scilicet delendo verba illa „Haec est illa fides, sine qua etc.“ et his verbis substituendo : *Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit iustificatio. nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque ad finem, vitam aeternam assequetur.* Sublato sic nexu inter hanc quartam et sequentem quintam paragraphum evanescit difficultas inde orta, quod quasi videretur omnibus necessarius ad salutem actus catholicae fidei. Haec difficultas iam remota est, quia nexus ille intimus inter paragraphum quartam et quintam iam sublatus est.

Quae cum ita se habeant, rogamus vos, Rmi Patres, ut de ea paragrapho quarta,ut nunc est modificata a Deputatione, et de proposito initio paragraphi quintae simul suffragia exquirantur: quae si duae mutationes accipiantur, et ipsae reliquae omnes propositae emendationes exclusae sive etiam admissae habentur, et simul satisfactum erit propositioni 54ae quoad primam eius partem usque ad verba „Et ne confundatur officium“ ; nam illmus auctor huius emendationis vult, ut supprimatur locus : „Porro fide divina“, et sequens sit initium : „Sine fide autem impossibile est“ ; igitur de hac prima parte non est amplius sermo : sed quod attinet ad secundam partem videbimus illico. Igitur etiam propositionibus 54ae quoad primam eius partem, et 55ae spectantibus ad initium paragraphi quintae satisfit, si vobis, Rmi Patres, placebit acceptare nostram propositionem sicut nunc ad removendas omnes difficultates a nobis modificata est. Et haec quidem de paragrapho quarta.

Relatione expleta, duplex huiusmodi additamentum ac textum eo modo concinnatum proposuere Praesides per R. D. Subsecretarium ; et duplici experimento facto, a Patribus omnibus, uno vel altero excepto, admitti visum est.

IV. Rapport et vote sur les amendements du cinquième paragraphe (7 avril).

Relatio R. P. D. Conradi Martin Episcopi Paderbornensis.

Permittite mihi, Illmi et Rmi Patres, ut relationem de emendationibus in caput tertium hesterna die interruptam, nunc reassumam et continuem.

Substitimus autem in paragrapho quinta, quae incipit ab illis verbis „*Haec est illa fides*“. Rmi Patres, proposui iam hesterna die nomine Deputationis emendationem initii huius paragraphi, quae ad removendas omnes difficultates et ambiguitates nobis placuit. Est autem emendatio initii huius paragraphi sequens, scilicet ut verbis „Haec est illa fides etc. “substituantur verba sequentia : *Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo* (ut in textu), *et ad filiorum eius consortium pervenire ; ideo nemini unquam sine illa contigit iustificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur.* Ita ut verbis „Haec illa est fides, sine qua“ substituantur verba : *Quoniam vero sine fide etc.*, et deleto puncto ante vocem „Quare“, verbis „Quare sicut nemini“ substituantur verba : *ideo nemini unquam.* Denique verbis „ita nemo“ substituantur verba *nec ullus* : omnia caetera intacta manent. Rationem huius mutationis iam hesterna die vobis, Rmi Patres, exposui, nempe ratio, ut paucis repetam, haec est, ut intimus ille nexus inter praecedentem

et hanc paragraphum tollatur, ne videretur omnibus ad salutem necessarium esse actum fidei catholicae ; nam hoc falsum esset. Rogo igitur vos. Rmi Patres, ut a nobis modificatam textus formulam acceptetis.

Iam venimus ad emendationem 54am. Iam haec 54a emendatio duas continet partes. Quoad primam partem, ut dixi heri, satisfactum est acceptata priori propositione sive emendatione ; sed et alteram partem continet, ut nempe vox „huic" post „ut autem" deleatur. Haec propositio potest admitti, et a Deputatione vobis commendatur.

Iam venimus ad emendationem 55am. Huic emendationi satisfactum est, acceptatis nostris prioribus propositionibus ; ita ut non opus sit de ea suffragia rogare.

Progredimur ad emendationem 56am. Etiam huic satisfactum est acceptatis prioribus emendationibus, neque de ea opus erit exquirere suffragia.

Idem dicendum est, Rmi Patres, de emendatione 57am „*Sine fide autem* impossibile est placere Deo". Nam difficultas, ad quam delendam haec propositio facta erat, iam remota est, acceptatis scilicet prioribus nostris emendationibus.

Iam progredimur ad emendationem 58am, quae quidem emendatio proponit ut verbis „Quare sicut nemini unquam" addantur verba : *eorum, qui ad usum rationis pervenerunt.* Sed Rmi Patres, haec emendatio iam non videtur fundata. Nam hic agitur de fide ut virtus, non de fide ut actus spectata ; et sicut omnes nos scimus, haec fides tanquam virtus spectata est etiam in pueris baptizatis, quia fides infunditur per sacramentum baptismi.

Iam progredimur ad emendationem 59am, quae quidem alia verba substituere vult verbis textus. Sed haec propositio non potest admitti, quia verba textus ipsissima verba sunt concilii Tridentini sess. VI, cap.7. Totus locus concilii Tridentini loco citato sic sonat : „Sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit iustificatio." Igitur ipsissima verba concilii Tridentini etiam a nobis adhibita sunt, ita ut haec emendatio non videatur admittenda.

Venimus ad emendationem 60am, quae quidem emendatio proponit ut pag. 13. lin. 13. post verba „sine illa" addatur : *fide seu explicite vel implicite professa.* Rmi Patres, etiam haec emendatio non satis fundata videtur, cum sicut modo dixi, hoc loco de virtute fidei, non de actu fidei agatur.

Progredi possumus ad sequentem emendationem scilicet 61am. Huic emendationi partim iam satisfactum est, acceptata illa emendatione 27a, quae Moysis et prophetarum mentionem facit. Quoad alteram partem huius emendationis attinet, non censuit Deputatio ei satisfaciendum esse. Illmus auctor huius emendationis optime quidem animadvertit, Ecclesiam institutam esse non solum ad hunc finem, ut nos ad fidem perduceret et in fide confirmaret, sed etiam ad altiores quosdam et nobiliores fines, scilicet ad glorificandum Deum ; nam dictum est in hac emendatione :... *possent homines, Deus ab initio societatem religiosam, seu Ecclesiam, constituerat, quae cum illum glorificaret etc.* Id quidem optime animadvertit illmus auctor huius emendationis ; sed alii fines, ad quos Ecclesia a Deo instituta est, textu nostro non excluduntur ; ideoque non censuit Deputatio esse hanc totam emendationem admittendam.

Venimus ad sequentem emendationem 62am. Haec emendatio spectat tantummodo ad stylum, et censuit Deputatio textum posse retineri ; sed non opus erit de hac propositione suffragia rmorum Patrum exquirere, Res solius styli est.

Venimus ad emendationem 63am. Haec per se quidem bene concepta, tamen fusius tantum dicit quod textus. textus noster brevior est; ideoque emendatio non videtur admittenda.

Venimus nunc ad emendationem 64am, quae vult ut maioris claritatis causa post particulam coniunctivam „ut“ addatur particula indicativa *qua*. Et haec quidem emendatio, quae etiam ad stylum pertinet, admittenda videtur; sed praeplacet pro voce *qua* vox *tanquam*. Haec vox nobis melior videtur, et iuxta hunc modum commendatur haec emendatio; sed non opus erit de hac emendatione suffragia exquirere.

Iam venimus ad sequentem emendationem 65am. Haec emendatio proponit ut verba „ab omnibus facile“ omitterentur. Et haec quidem emendatio acceptanda videtur quoad omissionem vocis „facile“, at excludenda videtur quoad omissionem vocis „ab omnibus“. Rogamus igitur ut accipiatur haec modificatio huius emendationis, scilicet ut vox „facile“ omittatur, et vox „ab omnibus“ retineatur, ut ita tota phrasis sonet: „Sicut custos et magistra verbi revelati ab omnibus agnosceretur“. Rogamus igitur ut in hoc sensu haec emendatio a vobis accipiatur.

Sequuntur iam tres sequentes emendationes, scilicet 66a, 67a et 68a, quae cum ad eamdem rem pertineant bene possunt coniungi. His tribus emendationibus satisfit, si accipiatur prima inter nominatas, quae est 66a, cum parva quadam modificatione, nempe ut pro verbis „ad Ecclesiam tantummodo catholicam ea pertinent“, dicatur: *ad solam enim Ecclesiam catholicam ea pertinent*, omissis aliis verbis, quae ambigua videbantur, potissimum propter adhibitam vocem „societatem“, quae non bene posset ad alias communitates, ut ita dicam, sive confessiones, sive formas Ecclesiae referri, quam ad Ecclesiam catholicam. Ut igitur removeantur, censuit Deputatio de fide ut haec emendatio sic, sicuti dixi, modificetur: *ad solam enim Ecclesiam catholicam ea pertinent etc.* Hac emendatione acceptata, non erit opus de aliis duabus emendationibus, nempe 67a et 68a, suffragia ferre.

Venimus ad emendationem 69am, quae proponit ut pro verbo „evidentem“ aliud verbum *certam vel indubiam* ponatur. Sed Deputatio censuit vocem „evidentem“ omnino retineri posse, quia secundum s. Thomam et secundum communem doctrinam omnium theologorum signa credibilitatis evidentia sunt; haec signa revera sunt evidentia signa credibilitatis, et hanc ob causam censuit Deputatio vocem hanc „evidentem“ posse retineri, et emendationem non esse admittendam.

Venimus ad emendationem 70am, quae quidem proponit, ut illa verba „Quin etiam Ecclesia per se ipsa“ et sequentia usque ad finem paragraphi omittantur, quia essent superflua sicuti etiam tota phrasis esset superflua. Sed, Rmi Patres, non sunt superflua haec verba et haec phrasis, contra quam pugnat ista emendatio. Sed haec phrasis „Quin etiam Ecclesia“ continet gradationem quandam et complementum eorum, quae in antecedentibus de Ecclesia dicta sunt; ideoque non censuit Deputatio, hanc propositam emendationem esse admittendam.

Sequitur emendatio 71a, ut dicatur: *Quin etiam Ecclesia per se ipsa, per suam nempe tum mirabilem propagationem, tum sanctitatem eximiam et in omnibus bonis inexhaustam foecunditatem etc.* Hanc emendationem censuit Deputatio de fide esse admittendam ut pulchram expositionem motivi credibilitatis, quod in Ecclesia continetur.

Sequitur emendatio 72a proponens ut post verba „testimonium irrefragabile“ haec vel similia addantur: *Tunc iugi vaticiniorum de ea existentium complemento, tum mira sua origine et dilatatione, tum innume-*

rabilium suorum martyrum testimonio etc. Sed huic emendationi, quae paulo fusior apparet, acceptatione prioris iam est satisfactum, et nunc hic potest excludi.

Hac prima relationis parte peracta, emus primus Praeses dixit:

„Emi Patres, procedamus nunc ad suffragia ferenda de emendationibus huius quintae paragraphi, quas R. D. Subsecretarius singillatim praeleget, ut postea de singulis exquirantur suffragia."

Id Subsecretarius exsequens, easdem more solito perlegit, et cum duplici experimento singulae subiicerentur, suffragiorum exitus hic fuit.

Emendationem quinquagesimam quartam fere omnes admiserunt in prima sua parte, at iuxta modum nomine Deputationis a rmo relatore propositum, ut nimirum paragraphus quinta sic inciperet: *Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit iustificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque ad finem, vitam aeternam assequetur.* Quoad secundam vero partem, ubi dicitur: *In phrasi* „ut autem huic officio" *supprimenda videtur vox* „huic", fere omnes admiserunt. Quinquagesimam quintam, quinquagesimam sextam, et quinquagesimam septimam suffragiis non subiecere Praesides, quia provisum iam fuerat, acceptata emendatione paragraphi quartae et initii paragraphi quintae. Quinquagesimam octavam, quinquagesimam nonam, sexagesimam et sexagesimam primam fere omnes reiecerunt. Sexagesima secunda proposita non fuit, quia nonnisi stylum respiciebat, et ob eamdem rationem nec proposita fuit sexagesima quarta. Sexagesimam tertiam fere omnes reiecerunt. Sexagesimam quintam fere omnes admiserunt. Sexagesimam sextam fere omnes admiserunt iuxta modum Deputationis a relatore propositum; ut scilicet diceretur: *ad solam enim Ecclesiam catholicam ea pertinent etc.* Admittendo autem eiusmodi emendationem hoc ipso satisfactum est emendationibus sexagesimae septimae et sexagesimae octavae, quae idcirco propositae non sunt. Sexagesimam nonam et septuagesimam fere omnes excluserunt. Septuagesimam primam fere omnes admiserunt. Septuagesima secunda proposita non fuit ob acceptationem emendationis antecedentis.

Post haec iterum ad ambonem vocatus est rmus Paderbornensis Episcopus ut relationem nomine Deputationis prosequeretur.

V. Rapport et vote sur les amendements du sixième paragraphe (7 avril).

Relatio R. P. D. Conradi Martin Episcopi Paderbornensis.

Venimus iam ad paragraphum sextam. Initio huius paragraphi nobis occurrunt tres emendationes, quae bene possunt coniungi, quia omnes tres emendationes pertinent ad eamdem rem, nempe 73a, 74a et 75a. Emendatio 73a alia verba proponit ut diceretur: *et ad se eos invitet, qui nondum crediderunt.* Similiter duae sequentes emendationes alia verba substituere volunt verbis textus nostri: bene quidem conceptae sunt, sed tamen nihil novi afferunt, neque praebent formam meliorem quam textus; ideoque non admittendae videntur.

Progredimur ad quatuor alias sequentes emendationes, quae possunt etiam coniungi, nempe emendatio 76a, 77a, 78a et 79a. Omnibus his emendationibus propositis satisfit acceptando pro voce „efficacius" vocem *efficax* in gradu positivo. Nam multi rmi Patres offendebantur formula textus „cui quidem testimonio efficacius etiam subsidium ac-

cedit." Posset ex hac formula concludi, internam gratiam, qua Deus excitat ad fidem, ad eumdem ordinem pertinere, ad quem spectat Ecclesiae externum auxilium; et hanc ob causam plures emendationes propositae sunt. Sed his omnibus emendationibus satisfit, si pro ista voce „efficacius" acceptatur *efficax* in positivo gradu, et omittendo vocem „etiam", nam tunc gratiae internae tota sua dignitas manet. Etiam satisfit voto illmi auctoris 79ae emendationis ut apponantur verba: *ex superno interiori auxilio*, quia modificatione proposita auxilia interna ab auxiliis externis satis distinguuntur. Rogamus igitur ut de acceptanda hac proposita modificatione prius suffragia exquirantur; quae si sunt pro acceptatione, de omnibus iis propositionibus, nempe 76a, 77a, 78a et 79a, non opus erit exquirere suffragia: quodam sensu omnes sunt admissae.

Progredimur nunc ad emendationem 80am, quae aliam formulam proponit pro formula textus: *etenim benignissimus Dominus, qui lumine gratiae suae etc.* Haec propositio bene concepta est, sed tantummodo idem quod textus dicit, ideoque non videbatur admittenda: sed placuit Deputationi in postrema textus redactione ex hac propositione desumere duo verba *etenim* pro „siquidem" et vox *benignissimus*: et habebimus rationem istius in postrema textus redactione,

Iam venimus ad emendationem 81am, ut scilicet poneretur *et* post „Dominus". Equidem haec emendatio admittenda videbatur.

Idem dicendum est de sequenti emendatione 82a. Etiam haec admittenda videbatur, ut apponeretur verbum *excitat*. Igitur etiam 82a emendatio videtur admittenda.

Venimus nunc ad emendationem 83am, quae mutationem quamdam textus proponit, ut scilicet dicatur: *Mirabilis sane est et varia ratio divinae Providentiae etc.*, sed haec propositio bene dicta et bene concepta, tamen non videbatur admittenda, quia iam dicta repetit, alienaque miscet, quae non pertinent ad rem propositam.

Venimus nunc ad emendationem 84am. Haec etiam mutationem textus proponit: *Quocirca, quia manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod praedicatum est gentibus etc.* Sed, Rmi Patres, haec emendatio doctrinam contra errorem, qui hoc loco excludendus est, minus directe exprimit; aliqua etiam admiscet, quae abludunt a scopo nostro. Igitur non censuit Deputatio eam commendandam esse.

Progrediamur ad emendationem 85am, quae proponit ut apponatur: *Quocirca re in se spectata minime par est etc.* Sed haec emendatio nobis videbatur fundamento carere; nobis, Deputationi scilicet, haec adiectio *re in se spectata* non videbatur neque necessaria neque utilis; ideoque non commendatur haec emendatio.

Iam progredimur ad duas sequentes emendationes 86am et 87am, quae quidem cum idem obiectum emendationis habeant possunt coniungi. Nobis videbatur excludendam esse 86am et acceptandam 87am, mutationem nempe vocis „primae" in *catholicae*. Vox „prima", Rmi Patres, obscurior videbatur; igitur pro hac voce „primae" ponenda est *catholicae*, et hac acceptata satisfit etiam priori emendationi.

Venimus ad emendationem 88am, quae quidem emendatio duas continet partes. Quoad primam partem acceptatione praecedentis emendationis ei iam satisfactum erit; nam etiam illmus auctor offenditur voce illa „primae veritati", quae ipsi obscurior videbatur: igitur acceptata emendatione priori satisfit voto ipsius. Sed quoad secundam partem videtur non admittenda; et ratio haec est, quia hoc loco mi-

nime sermo est de officio acatholicorum, sed tantummodo de officio catholicorum, nempe quod catholici et fideles nunquam debeant fidem suam vocare in *dubium*. *Hoc erat punctum quod hac doctrina nostri capitis* erat excludendum; et hanc ob causam non censuit Deputatio huic secundae parti emendationis satisfaciendum esse.

Venimus ad emendationem 89am, ut scilicet maioris claritatis causa loco „nam" poneretur : *illi enim*, ut referatur phrasis sequens ad catholicos, ad fideles. Et haec quidem emendatio propter maiorem claritatem proposita Deputationi videbatur acceptanda; sed cum res styli sit, de ea non exquirenda videntur suffragia.

Idem dicendum est de emendatione 90a, ut scilicet pro verbis „qui eam" ponatur verbum *quam*. Haec etiam est mere res styli, neque opus erit de ea emendatione exquiri suffragia.

Venimus nunc ad sequentem emendationem, ad emendationem 91am. Haec emendatio 91a, quamquam bene concepta sit, tamen non videbatur nobis esse acceptanda, quia solummodo mera repetitio eorum est, quae textus noster iam exhibet.

Emendatio 92a et postrema huius paragraphi. Haec tantummodo desiderium exprimit, scilicet, ut immediate post prooemium poneretur hoc caput tertium de fide. Nam dicit Illmus auctor prius esse statuendum quid sit fides et quaenam sit Ecclesiae auctoritas ad docendum, quam explicandum quid Ecclesia doceat. Quod quidem bene. Sed censuimus doctrinam de praeambulis ad fidem, quae tractatur prioribus capitibus, omnino praemittendam esse doctrinae de fide; et hanc ob causam non censuit Deputatio huius animadversionis, quae etiam tantummodo desiderium exprimit, rationem esse habendam. Haec igitur de paragrapho quarto.

Absoluta hac etiam relationis parte, deventum est ad suffragia, quorum exitus hic fuit. Emendationes septuagesimam tertiam, septuagesimam quartam et septuagesimam quintam fere omnes reiecerunt. Septuagesimam sextam fere omnes admiserunt iuxta modum, ut nimirum pro „efficacius" diceretur *efficax*, et omitteretur „etiam", ita ut textus emendatus sic legi deberet : *cui quidem testimonio efficax subsidium accedit*. Septuagesimam septimam, septuagesimam octavam et septuagesimam nonam non proposuere Praesides, quia satisfactum iis iam erat per emendationem septuagesimam sextam acceptatam. Octogesimam fere omnes reiecerunt. Octogesimam primam et octogesimam secundam fere omnes admiserunt. Octogesimam tertiam, octogesimam quartam et octogesimam quintam fere omnes reiecerunt. Octogesimam sextam et octogesimam septimam fere omnes admiserunt iuxta modum dicendo nimirum *catholicae veritati*, potius quam „primae veritati". Octogesimam octavam quoad primam partem non proposuere Praesides, quia ei satisfactum iam fuerat in admissione emendationis antecedentis. Quoad secundam vero partem longe maior Patrum pars reiecit. Octogesima nona et nonagesima propositae non fuerunt, quia nonnisi de stylo erant; sicuti nec proposita fuit nonagesima secunda, quia nullam formam exhibebat, exprimebatque simplex desiderium. Nonagesimam primam autem fere omnes reiecerunt.

Absolutis emendationibus caput tertium respicientibus, iterum ascendit ambonem rmus Paderbornensis, ut de canonibus relationem faceret.

VI. Rapport et vote sur les amendements des canons (7 avril).

Relatio R. P. D. Conradi Martin Episcopi Paderbornensis.

Priusquam, Emi et Rmi Patres, ad emendationes in canones propositas accedam, liceat mihi pauca quaedam verba praemittere. Horum canonum finis is est, ut ad huius aetatis errores doctrina in capite exarata presse et explicite applicetur. Error autem primus et fundamentalis est, rationem humanam esse, ut ita dicam autonomam sibique plane sufficientem; et contra hunc errorem dirigitur canon primus: „Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei etc.“

Consequens error est, nihil pro vero esse habendum, nisi quod ratio ex se ipsa hauriat: et contra hunc errorem directus est canon secundus distinguens inter fidem et scientiam humanam, satuensque formale obiectum, idest motivum fidei esse auctoritatem Dei loquentis: „Si quis dixerit, fidem divinam a scientia naturali. . . non distingui, ac propterea ad eam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur etc. . . . “

Alter error desperans de ratione ipsique nihil tribuens totum ad vagam sentimentalitatem, ut ita dicam, refert; et contra hunc errorem dirigitur canon tertius: „Si quis dixerit, fieri non posse, ut revelatio divina externis signis reddatur credibilis, ideoque sola interna cuiusque experientia homines ad fidem moveri etc.“ Propugnat ergo hic tertius canon iura rationis in ipsa fide.

Quartus error negat possibilitatem demonstrandi factum revelationis seu miracula, negando igitur ipsam miraculorum possibilitatem; et in hunc quartum errorem dirigitur canon quartus: „Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse etc.“

Quintus canon vindicat libertatem fidei et quidem contra Hermesium, cuius duplex error hoc loco excludendus erat. Primus error Hermesii, Rmi Patres, erat quod fides producatur demonstratione scientifica et quidem necessariis, necessario cogentibus argumentis scientiae humanae; ita ut non liber sit actus fidei sed ut sit actus necessarius. Hic est primus error Hermesii; et ex hoc primo errore sequebatur alter error, quod nempe ad fidem per se spectatam non requiratur interna gratia Dei; nam si fides non est actus liber, si est actus necessarius, sequitur ut non requiratur ad eam auxilium divinae gratiae. Hic est igitur duplex error Hermesii, et hic duplex error Hermesii erat excludendus per hunc quintum canonem. In prima parte vindicatur libertas fidei, in secunda parte vindicatur doctrina de necessitate gratiae ad fidem.

Sextus denique canon est: „Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram etc.“ Hic sextus canon excludit eiusdem Hermesii errorem, de quo Papa Pontifex Maximus Gregorius XVI. in doctrinae Hermesianae condemnatione ait: „Qui igitur (Hermesius) satuendo dubium positivum tamquam basim „omnis theologicae inquisitionis, ad errorem omnem viam moliebatur.“ Nam Hermesius voluit, ut omnis theologica inquisitio incipiat a dubio et quidem a dubio positivo, quo vere assensus de veritate religionis et fidei christianae suspenditur. Et hic omnino grandis et periculosus est error, qui erat excludendus; et hoc fit per hunc canonum sextum. Haec erant, Rmi Patres, mihi praelibanda; et nunc iam transgrediamur ad emendationes in hos sex canones.

Primo igitur venimus ad emendationem 93^{am}. Nempe unus ex illmis

Patribus, auctor emendationis huius 93ae, proposuit canones primum et quartum utpote ferientes incredulos, qui foris sunt, prorsus esse supprimendos. Sed, Rmi Patres, eadem ratio erat de nonnullis canonibus, qui respiciebant doctrinam capitis primi, directis contra materialismum et contra atheismum ; et tamen hi canones a rmis Patribus approbati fuerunt, et quidem eo quia *directi sunt* hi canones contra eos *qui* sunt baptizati, et tamen catholico nomine glorientur quamquam sint increduli ; et quia baptizati sunt, ideo etiam potest et debet Ecclesia de eis iudicare. Et non est verum quod illmus auctor dicit, de his non pertinere iudicium ad Ecclesiam ; de iis qui foris sunt non iudicat. Et hac de causa Deputatio censuit suos illos canones esse retinendos, et propositam emendationem non admittendam.

Iam venimus ad canonem primum ipsum. Ad hunc canonem plures propositae sunt emendationes, nempe 94a, 95a, 96a et 97a, quarum illmi auctores maxime offenduntur, eo quod in canone nostro dicatur, fidem rationi a Deo imperari posse. Ad quam difficultatem tollendam alius rmorum Patrum alia verba verbis textus substituenda proponit. Sed, Rmi Patres, animadverto errorem damnandum non eum esse, ut, si Deus revelat, ratio humana ei obsequium detrectare iure possit ; sed id non obiiciunt, id non impugnant illi, qui possibilitatem revelationis sive factum revelationis non concedunt ; non impugnant hanc doctrinam, scilicet etiam debere Deo revelanti obsequium praestari. Igitur non hic error est, qui hoc canone esset feriendus, minime ; sed error, qui hic erat excludendus, hic est, rationem humanam ita in se perfectam esse, ut ex se ipsa omnem veritatem haurire possit ; ideoque Deum nullam iustam revelandi nec fidem a ratione exigendi causam habere. Hic est error, qui erat hoc loco feriendus ; et hunc errorem canon noster accurate ferit : et hac ex causa Deputatio pro fide censuit emendationes 95am, 96am, 97am, quamquam alioquin bene conceptas, non esse admittendas, quia alium sensum praebent. Emendatio autem 94a voci „imperari“ in textu nostro vocem *imponi* substitui vult. Sed ingenue fateor, et quidem ex sensu Deputationis loquor, vox *imponi* minus accurate hic exprimit sensum intentum ; et vox textus nostri „imperari“ nobis clarior ad hunc sensum intentum exprimendum videbatur. Ideoque rogamus vos, Rmi Patres, ut omnes quatuor emendationes, quae ad hunc primum canonem spectant, non admittatis.

Iam venimus ad canonem secundum. Quatuor emendationes propositae sunt. Emendatio 98a nempe ut propter maiorem claritatem dicatur : *Si quis dixerit, ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur etc.* Haec emendatio omnino clarior videtur, sed manca ; nam primam partem canonis textus omittit, et haec prima pars rationem definitionis continet, ita ut non debeat praetermitti ; et ex hac quidem causa censuit Deputatio, huius emendationis non esse habendam rationem.

Venimus ad emendationem 99am. Haec emendatio 99a fere coincidit cum 101a : *Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri etc.* Dico igitur propositam emendationem 99am fere coincidere cum 101a, ideoque mox eius ratio habebitur. Qua de causa opus non erit de ea suffragia rogare.

Venimus nunc ad emendationem 100am, quae ita concepta est : *Si quis dixerit, ad fidem divinam non opus esse lumine supernaturali Dei ; adeoque, cum non distingui natura sua a scientia quacumque, solo lumine*

naturali rationis acquisita; illamque idcirco aequalis esse dignitatis, ac certitudinis cum scientia naturali religionis, anathema sit. Haec bene concepta est, sed aliena admiscet; nam, Rmi Patres, hoc loco non agitur de comparanda certitudine fidei cum certitudine scientiae; hic non est scopus, minime: et hanc ob causam, quia aliena admiscet, haec emendatio videbatur non admittenda.

Venimus nunc ad emendationem 101am, et haec quidem emendatio quae est, ut diceretur: *Fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui etc.*, haec nobis placuit et admittenda videbatur; qua acceptata etiam satisfit propositioni 99ae, de qua modo dixi.

Iam venimus ad canonem tertium. Quinque sunt ad hunc tertium canonem emendationes propositae. Emendatio 102a: *Si quis dixerit, Deum externis signis non reddidisse revelationem divinam vere credibilem omnibus; adeoque homines sola interna etc.* Haec emendatio non eumdem sensum praebet, quem canon textus nostri intendit, cum emendatio, quod bene notandum est, agat de facto, dicitur enim Deum non reddidisse etc.; *sed canon noster non agit de facto, sed agit de possibilitate,* de iure; nam dicitur in canone nostro „Si quis dixerit, fieri non posse etc." Igitur alius sensus est atque ille quem praebet ista proposita emendatio; et hanc ob causam haec emendatio non videbatur acceptanda.

Progrediamur ad emendationem 103am. Quod hanc emendationem attinet, ex ea acceptanda videntur tamquam additamentum aliquod verba: *inspiratione privata*; nam illmus auctor vult, ut verbo „experientia" substituerentur haec alia, ut diceretur: *sola interna cuiusque inspiratione privata.* Et nobis quidem placuit; nam mature hanc propositionem perpendimus, iterum perpendimus et diu perpendimus in nostro consessu; et placuit nobis ut ex hac quidem proposita emendatione haec citata verba *inspiratione privata* acceptarentur tamquam additamentum, ita ut textus nunc sic sonet: *Ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata etc.* Igitur duo sunt distincti sensus, primum experientia interna, et tum etiam inspiratio, ad quam, ut scimus, pietistae saepissime recurrunt; et provocant ad testimonium Spiritus sancti, ad internam inspirationem. Fere coincidit cum experientia, sed tamen non prorsus coincidit cum hac priore parte, cum experientia; et ideo nobis placuit ut apponerentur haec etiam verba ad excludendum illum falsum pietismum. Rogamus igitur vos, Rmi et Illmi Patres, ut hanc mutationem acceptetis, quam proposui modo.

Iam igitur venimus ad emendationes 104am et 105am, et his duabus emendationibus censet Deputatio satisfieri, si totus textus canonis tertii ita acceptetur, mutatis tantummodo nonnullis verbis, nempe: *Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse*; nam formula nostra est duriuscula, et ut apparet ex propositis pluribus emendationibus, multi rmi Patres hac formula offendebantur; et ut haec formula duriuscula evitetur, proponimus ut textus sic concipiatur: *Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, sed sola interna* (textus manet) *cuiusque experientia aut inspiratione privata etc.*; nam haec verba ut modo dixi apposita sunt ex emendatione 103a; omnia caetera manent intacta. Igitur hac formulatione credimus satisfieri votis rmorum auctorum 104ae et 105ae emendationis. Igitur: „Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, sed sola interna cuiusque experientia aut

inspiratione privata homines ad credendum moveri debere etc." Apposuimus etiam hanc propositam vocem *debere*; nam dicunt debere homines moveri non per externa signa, sed per internam experientiam. Haec est formula nostra, quam cum omni humilitate vobis proponimus, petentes ut hanc formulam dignemini acceptare.

Iam progredimur ad emendationem 106am. Sed, Rmi Patres, quod hanc emendationem attinet, animadverto per errorem typographicum huc translatam esse; nam non pertinet huc, ad hunc canonem haec emendatio, sed ad canonem sextum pertinet, ideoque postea tractabitur; et hoc loco praetermittimus hanc emendationem.

Nunc progredimur ad canonem quartum et quidem ad emendationem 107am. Illmus auctor huius emendationis vult, ut miraculis etiam adiungantur *vaticinia* sive prophetiae. Sed in capite doctrinae iam satis provisum videtur; et quod etiam animadvertendum hoc loco est, nos scimus omnes, Rmi Patres, quod potissimum miracula impetantur ab incredulis, minus prophetiae, potissimum sunt miracula; et sensu latiori etiam prophetiae sunt miracula, prophetiae sunt miracula divinae infinitae scientiae, et miracula sunt, ut ita dicam, miracula omnipotentiae divinae. Ideo hac causa censuit Deputatio vaticinia posse praetermitti in canone, quia iam ut dixi provisum fuit in textu, in capite doctrinae ipso.

Progredimur igitur ad emendationem 108am. Haec emendatio proponit additamentum quoddam, scilicet: *sive a iudicio Ecclesiae.* Sed Rmi Patres, hoc additamentum tamen huc non pertinere videtur, cum tantummodo sermo sit de facto revelationis primario et primitivo, ut ita dicam. Et etiam hoc animadvertendum est, miracula, quae in Ecclesia fiunt, non excludi in nostro canone, quia nos dicimus „etiam", nimirum: „Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes huiusmodi narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas" etc. Igitur ex hac causa censuit Deputatio, hanc emendationem non esse admittendam.

Iam venimus ad canonem quintum. Octo emendationes ad hunc canonem propositae sunt, et inde quidem manifestum nobis fuit, textum nostrum non satis clarum ac concinnum fuisse; quia tam multae emendationes sunt. Visum est igitur Deputationi conficiendam esse clariorem formulam, quae impressa nunc in manibus vestris versatur. Favete introspicere folium, quod hesterna die est distributum, ubi inveniuntur haec verba: *Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed necessariis humanae rationis argumentis produci; aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse, anathema sit.* Rationes mutationis potestis, Rmi Patres, ipsi legere; sunt scriptae in consequentibus: „Satis igitur perspicuum est (sicut iam exposui modo) in canone duos damnari distinctos errores, quorum alter libertatem fidei, alter gratiae necessitatem negat. E contextu verborum iam etiam apparet, necessaria dici argumenta, quae vim intellectui inferunt et ad assensum cogunt". Nam vidimus et audivimus multos Patres offensos esse verbo „necessariis", et alii alia verba proposuerunt pro hoc verbo „necessariis". Unus rmorum Patrum proposuit *firmis*, alius rmus Pater voluit notionem necessitatis transferri ad actum, ita ut dicatur: *necessario productam*, alius igitur aliter, sed multi offendebantur hoc verbo. Sed nunc credo, Rmi Patres, nullum posse offendi; nam nunc sensus est clarissimus, siquidem *necessarius* est vox, qua Hermesius ipse utitur. Nos in lingua latina non habemus vocem, quae stricte exprimat germanicam vocem *nœthigenden Gründen*:

vox *necessitans* est accommodata ; potius dicerem *cogens*, argumenta cogentia ; quae necessitatem imponant intellectui, cui non possit resistere. Hoc voluit exprimere Hermesius, et haec quidem sententia clarissima est, et non potest non intelligi per quemvis, si ita concipiatur nunc textus : assensum fidei christianae non esse liberum, sed necessariis humanae rationis argumentis produci, quae necessario hominem movent ad assentiendum, quae quasi vim imponunt ut non possit resistere, ita ut libertas fidei sit sublata : hic est error Hermesii. Credo, Rmi Patres, si dignemini acceptare hanc novam formulam, omnium emendationum propositarum votis esse satisfactum ; et rogo igitur nomine Deputationis, ut tunc non ferantur suffragia super caeteris emendationibus, si haec acceptetur.

Iam venimus ad ultimum canonem. Ad hunc ultimum canonem sunt propositae quinque emendationes ; nempe una cum emendatione 106ª, quam huc diximus transferendam, est una alia, quae per errorem prius non erat impressa, nunc autem in manibus vestris versatur. Favete inspicere folium hesterna die vobis distributum, ubi invenitur nunc impressa, dicitur enim : „Inter emendationes pro capite tertio schematis *de fide catholica* omissa est sequens pag. 39 [supra p. 370]. post 119ªᵐ inserenda : *Si quis dixerit, quoad officium etc.*". Vult clarissimus auctor huius emendationis ut apponantur propter maiorem claritatem haec verba : *quoad officium circa doctrinam revelatam parem esse etc.* Igitur cum illa 106ª et cum hac, quae modo a me lecta est, et nunc impressa in manibus vestris versa, sunt propositae quinque emendationes ad hunc canonem sextum, et hae emendationes iam sunt examinandae. Porro emendatio 120ª non pertinet strictissimo sensu ad canonem, ideo locutus sum tantummodo de quinque, alioquin dixissem sex esse propositas. Sed emendatio 120ª ad aliam rem pertinet. Igitur has propositas quinque emendationes nunc examinemus.

Illmus auctor emendationis 117ᵃᵉ desiderat, ut hic canon supprimatur ; sed, quod bene notandum est, in ea tantum hypothesi, ut ea quae in capite doctrinae de Ecclesia proferuntur, transferantur ad schema de Ecclesia. Nam dicit : Canon vero sextus hic praetermittendus videtur, et inter canones de Ecclesia inserendus, propter superius exposita ; in hac igitur hypothesi, ut ea quae in capite doctrinae de Ecclesia dicta sunt, transferantur ad schema Ecclesiae, in hac tantummodo hypothesi cupit, ut hoc loco hic canon praetermittatur. Sed huic desiderio, ut omnia quae in capite doctrinae de Ecclesia dicta sunt, transferantur ad schema de Ecclesia, in hoc puncto non potuit eius desiderio satisfieri. Nam, sicut iam honorem habui exponere vobis, Rmi Patres, nonnulla praelibanda sunt de Ecclesia, ubi sermo est de fide, quae fides non potest explicari, si nihil de Ecclesia dicitur ; et cum igitur non potuerit satisfieri exposito rmi Patris voto in hoc puncto, non potest nec poterit in supprimendo hoc canone. Quare petimus, ut non exquirantur suffragia, quia iam assensum praebuistis, Rmi Patres, ut in capite ea retineantur, quae de Ecclesia dicta sunt. Igitur non opus est hoc loco exquirere super hac emendatione suffragia.

Iam venimus ad praetermissam illam emendationem 106ªᵐ quae huc, sicuti dixi, pertinet. Illustrissimus et clarissimus auctor huius emendationis vult, ut pro „licite" substituantur voces : *veram et iustam causam habere* ; nempe in his verbis „si quis dixerit... ita ut fideles catholici licite possint fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt etc." vult ut pro „licite" dicatur : *veram et justam causam habere*. Quod

ad hanc emendationem pertinet, censuit Deputatio huic satisfaciendum esse cum hac parva modificatione, ut vox *veram*, quam proponit illmus auctor, omittatur; cum sensus huius vocis in voce *iustam* iam contineatur. Placeat igitur vobis, Rmi Patres, ut pro *veram et iustam* ponatur simpliciter *iustam causam habere*. Et iam satisfactum est intentioni rmi Patris.

Venimus ad emendationem 118am quae ait: *Si quis dixerit fidem etc.* Haec partem primam canonis nostri textus supprimit, scilicet,, parem esse conditionem fidelium et eorum qui ad fidem unice etc." Hanc primam canonis nostri partem supprimi vult auctor huius emendationis; sed censuit Deputatio hanc primam partem esse omnino necessariam ad intelligendum sensum canonis nostri, ideoque non credidit Deputatio satisfieri posse illmi et rmi Patris voto in hoc puncto.

Progredimur ad emendationem 119am, nimirum: *Si quis dixerit, fideles catholicos... anathema sit.* Quod ad hanc emendationem attinet, haec emendatio, quanquam per se verissima, continet tamen quaedam aliena, quae non pertinent ad scopum canonis nostri; et hac ex causa videbatur Deputationi haec emendatio non admittenda.

Denique emendatio, quae nunc demum in manibus nostris impressa versatur (nam, sicut iam dixi, per errorem prius non erat impressa), haec emendatio vult, ut ad maiorem claritatem ante verba,, parem esse" ponantur verba: *quoad officium circa doctrinam revelatam.* Sed videtis, Rmi Patres, quod revera haec verba non sunt necessaria, et quidem ex hac ratione, quia sensus canonis nostri non potest esse dubius, cum in toto capite de hac ipsa sola materia agatur, et duriuscula sit oratio si diceretur: *Si quis dixerit quoad officium circa doctrinam etc.* Ut igitur durities evitetur, censuit Deputatio haec proposita verba posse omitti.

Iam venimus ad emendationem, 120am. Quod pertinet ad hanc emendationem, illmus auctor eiusdem vult, ut post canonem sextum admonitio quaedam adiungatur considerandi motiva credibilitatis: sed censuit Deputatio hanc admonitionem huc non pertinere. Itaque putavit Deputatio, hanc emendationem sive hoc desiderium non esse admittendum hoc loco.

Postremo, Rmi Patres, reliquae sunt duae emendationes (multae revera fuerunt), nempe proponitur canon novus condendus. Sed Deputatio censuit non esse ita multiplicandos canones; censet igitur posse abstineri a condendo hoc canone; cum error, de quo agitur, iam in doctrina satis clare exclusus sit.

Haec igitur, Rmi Patres, sunt, quae vobis vestroque sapientissimo iudicio nomine Deputationis subiicienda sive proponenda habui. Restat mihi ut vobis omnibus ob eximiam patientiam, qua me audistis, ex intimo corde gratias agam.

Peracta relatione in canones et in singulas emendationes super iisdem propositas, deventum est ad suffragia more solito, quorum exitus ex duplici experimento habito hic fuit.

Emendationem nonagesimam tertiam, nonagesimam quartam, nonagesimam quintam, nonagesimam sextam, nonagesimam septimam, nonagesimam octavam et centesimam fere omnes excluserunt. Centesimam primam fere omnes admiserunt, et per hoc satisfactum erat emendationi nonagesimae nonae, quae idcirco proposita non fuit. Centesimam secundam fere omnes excluserunt. Centesimam tertiam fere

omnes admiserunt iuxta modum, ut scilicet verba *inspiratione privata* veluti additamentum insererentur textui, et diceretur: *sed sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata.* Centesima quarta et centesima quinta simul propositae sunt et admissae fere ab omnibus dicendo iuxta modum a relatore propositum: *Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, anathema sit.* Centesima sexta hic proposita non fuit, quia non ad hunc, sed ad sextum canonem videbatur referri. Centesimam septimam et centesimam octavam fere omnes reiecerunt. Quoad emendationes centesimam nonam, centesimam decimam, centesimam decimam primam, centesimam decimam secundam, centesimam decimam tertiam, centesimam decimam quartam, centesimam decimam quintam et centesimam decimam sextam propositus est a rmo relatore quintus canon hac ratione: *Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed necessariis humanae rationis argumentis produci, aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse, anathema sit.*

At huiusmodi canon a Deputatione propositus non placuit patribus; siquidem perlecto, a rmo Subsecretario, nemo eidem assentiri visus est. Quin imo plures rmi patres ad praesides accesserunt alias omnino formulas proponentes ac suadentes. Alii enim dici voluissent: *necessitantibus humanae rationis argumentis;* alii: *humanae rationis argumentis ad assensum cogentibus*; alii demum: *humanae rationis argumentis necessario produci.* Quapropter emis praesidibus quoad huiusmodi canonem et relativas emendationes suffragia suspendere visum est, et rmo Episcopo Paderbornensi mandarunt, ut patres hoc sensu alloqueretur nomine Deputationis, quod ipse ambonem ascendens hac ratione praestitit.

VII. Rapport demandant le renvoi du vote sur le cinquième canon qui n'avait pas été accepté par le Concile (7 avril).

Relatio R. P. D. Conradi Martin Episcopi Paderbornensis.

Eminentissimi et Reverendissimi Patres

Est una res, quae me cogit iterum ambonem ascendere; scilicet eadem propositio, de qua loquuti sumus, nempe quam vos nunc in manibus vestris habetis. Illa formula concernit res, quas vobis proposuimus: *Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed necessariis humanae rationis argumentis produci.* Nam dubii sumus usque ad hoc temporis momentum, dubii ut ingenue fatear et ancipites sumus, num sit melius et opportunius pro hac voce *necessariis* alio verbo ex. gr. verbo *necessitantibus* sive *cogentibus* uti. *Necessitantibus* utique hoc esset opportunissimum, equidem credo. Sed permittatis, Rmi Patres, ut Deputatio magis deliberet et maturius deliberet de eligenda quadam voce prorsus accommodata; et benigne suspendatis hodie votationem super hoc assensu usque ad crastinum diem.

Post haec denuo ascendit ambonem R. D. Subsecretarius, ut alias emendationes Patrum suffragiis proponeret. Et centesima decima septima proposita non fuit; et centesimam sextam, cuius hic ratio habita est, fere omnès admiserunt iuxta modum a rmo relatore propositum, ut nimirum omitteretur vox *veram etc.* et diceretur: *iustam causam ha-*

bere etc. Centesimam decimam octavam, centesimam decimam nonam, et aliam, quae in addito folio typis impresso proponitur, nimirum : „Si quis dixerit quoad officium circa doctrinam revelatam parem esse conditionem etc.“ *sicuti et centesimam vicesimam*, fere omnes excluserunt. Canones autem addendos, qui proponebantur sub numeris 121° et 122°, fere omnes excluserunt.

VIII. Rapport complémentaire et vote sur le cinquième canon (8 avril).

Relatio R. P. D. Conradi Martin Episcopi Paderbornensis.

Hodie adhuc ferenda sunt suffragia super formula quinti canonis tertio capiti correspondente. Perpensis omnibus emendationibus, quae a pluribus rmis Patribus fuerant propositae, Deputatio pro fide censuerat, hanc formulam ad removendas omnes difficultates conficiendam esse hunc in modum, sicut legistis in folio, quod hesterna die vobis est traditum : *Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed necessariis rationis humanae argumentis produci etc.* Sed videbatur haec formula non omnibus patribus placere ; potissimum offendebantur hac voce *necessariis*, nempe *argumentis necessariis*. Itaque Deputatio pro fide hesterno suo consessu hanc totam rem novo examini subiecit, simulque examinavit formulas aliquas, quae a nonnullis patribus ipsi erant oblatae ; quarum una est, quae proponit ut voci *necessariis* substitueretur vox *cogentibus*, sive *argumentis cogentibus*, sive simpliciter *cogentibus*, sive, ut alius rmus pater proposuit, *cogentibus ad assensum*. Sed quamquam haec vox *cogentibus*, sive *cogentibus ad assensum* de sensu intento nullum dubium relinquat ; tamen nobis haec vox non placuit, et potissimum hanc ob causam, quia vox *cogere*, *coactio* indicat vim, quae extrinsecus alicui inferatur (*signa approbationis*). Et hoc loco, Rmi Patres, non agitur de tali vi quae extrinsecus inferatur intellectui ; sed agitur de vi argumentorum, quae est vis, ut ita dicam, intrinseca, est necessitatio (ut hoc vocabulo utar) non extrinseca, sed est necessitatio intrinseca, ab intus veniens. Fortasse vox *necessitans*, quam alius rmus pater proposuit, optima esset ad exprimendum sensum intentum, dummodo haec vox *necessitans* melius latina esset ; sed *argumentis necessitantibus* non potest bene latine dici. Itaque his omnibus iterum iterumque perpensis, censuit hesterno suo consessu Deputatio pro fide, formulam posse ad omnes difficultates removendas ita confici : *Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis rationis humanae necessario produci, anathema sit.* Haec quidem formula, Rmi Patres, nil amplius obscuri habet, verba sunt simplicissima ; et errorem hoc canone feriendum presse et distincte exprimunt. Igitur haec formula, haec simplicissima formula nobis placuit, et nunc nomine Deputationis, Rmi Patres, vos rogo humiliter, ut dignemini hanc formulam acceptare. Haec sunt quae hodie amplius nomine Deputationis vobis et vestro sapientissimo iudicio proponenda habui. Favete, valete.

Hic cum plures Patres non bene intellexissent novum canonem propositum a Deputatione, rogarunt reverendissimum relatorem descendentem ex ambone, ut illum repeteret. Unde reverendissimus relator iterum ambonem ascendens ait :

Rogatus sum a pluribus rmis patribus, ut de novo hanc formulam legam ; igitur formula haec est : *Si quis dixerit* (prima verba manent intacta sicut in textu), *assensum fidei christianae non esse liberum*, (nunc sequitur modificatio) *sed argumentis rationis humanae necessario produci*,

anathema sit. Igitur pro *necessariis*, quae vox relata erat ad argumenta, nunc dictum est *necessario produci*, necessitas refertur ad actum, quod idem est, ita : *sed argumentis rationis humanae necessario produci*. Est igitur oppositio contra priorem phrasim, assensum fidei non esse liberum : actus fidei est liber. Igitur : *Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis rationis humanae necessario produci, anathema sit*.

Post hanc relationem rmi Episcopi Paderbornensis, de dicto canone suffragia exquisita sunt ; et more solito experimento facto, cum consensus pene unanimis Patrum constitisset, emus primus Praeses dixit :

„Declaramus itaque, canonem quintum tertii capitis, qualis nunc propositus fuit, a Congregatione generali fuisse admissum.

DOCUMENT XXI

Amendements proposés par les Pères pour le chap. IV.

Le chapitre IV fut discuté le 1er avril, à la 5e congrégation. Les amendements furent aussitôt imprimés ; mais le jour de leur distribution n'est pas indiqué aux *Actes du Concile*.

EMENDATIONES SCHEMATIS

a Reverendissimis Patribus propositae.

1. Cap. IV, reformetur ita :

Omnipotens et sapientissimus Creator hominis Deus, in eo verissimum se ostendit atque unicum auctorem luminis naturalis rationis, et luminis supernaturalis Fidei divinae, quod ipse mirabili ac ineffabili consortio utrumque lumen divinitus coniungit in actu assentiendi motivo formali Fidei, in quod ipsa fides resolvitur, et per quod credimus omnes et singulos articulos Fidei. Credimus enim omnes et singulos Fidei revelatae articulos immediate ac unice propter veracitatem Dei revelantis. Quoniam vero veracitatem Dei revelantis nec credimus propter aliud motivum, nec propter evidentiam luminis naturalis rationis, sed tantum propter se, et secundum se ; necesse omnino est, ut in hoc actu fundamentali, quo totum aedificium fidei innititur, tum ratio ordinis cognoscendi per lumen naturale, tum ratio ordinis credendi per lumen supernaturale, coalescat utraque in unum mirabili ac supernaturali unione, ad aliquam supernaturalem similitudinem illius, vere admirabilis ac exemplaris et divinae unionis, qua in Christo per hypostaticam assumptionem, omnes et singulae operationes naturales verae eiusdem humanae naturae producuntur, suntque unitae personaliter cum Verbo divino. Unde sunt revera operationes tum ordinis physici naturalis, tum ordinis hypostatici, vere ac proprie divini ac theandrici.

Hac autem ineffabili unione rationis cum fide in actu fundamentali totius Fidei, quo assentimur motivo formali revelationis divinae firmissima certitudine, illud credentes non propter aliud quodvis motivum, sed unice propter se et secundum se, homo evehitur ad caelestem ac supernaturalem dignitatem, ac efficitur initium novae veluti creaturae in Christo Iesu, quod per caritatem perficitur in imaginem gratissimam Deo Patri eamque vere conformem imagini Filii eius Unigeniti, in quo ipse sibi complacuit. Hac de causa B. Paulus Apostolus aiebat, Christum per fidem inhabitare in cordibus nostris. Quam ob rem, sicut primus effectus Dei Creatoris luminis naturalis in homine est facere non quidem demonstrabilia, sed credibilia per evidentiam, prima principia rationis, quibus deinde mens valeat alias veritates naturalis ordinis demonstrare ; ita etiam primus ac immediatus effectus veracitatis Dei revelantis est facere auctoritatem primae veritatis infallibiliter credibilem, qua deinde credamus singulos revelationis articulos, non obstante

obscuritate tum formalis, tum materialis objecti Fidei. Haec est mirabilis sapientiae ac bonitatis divinae operatio, cui testimonium perhibuerunt ab *initio mundi usque modo omnes iusti* ; *et cui adversati fuerunt* omnes huius saeculi sapientes secundum carnem ex voluntaria duritie cordis intumescentis superbia. „Oh altitudo divitiarum sapientiae ac „scientiae Dei ! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investi„gabiles *viae eius* ! *Quis enim cognovit sensum* Domini ? aut quis con„siliarius eius fuit ?" (Rom. 11, 33 et 34).

Magnus etiam Dominus noster et admirabilis nimis in bonitate ac sapientia, qua invisibilem veritatem et auctoritatem revelationis connexam et manifestatam et attestatam voluit cum visibili ordine, atque stupendis operibus factis in creaturis, ut omnes intelligerent, unum atque eumdem esse Auctorem naturae et revelationis, naturalis luminis rationis humanae, ac supernaturalis luminis Fidei : ac proinde homines essent simul discipuli naturae per scientiam rationis, et discipuli primae Veritatis revelantis per obedientiam gratiae auditus Fidei. Quo sane mirabili ordine utriusque divini magisterii naturalis ac supernaturalis, Paulus Apostolus arguebat culpabilem incredulitatem eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent : Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius per ea, quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas ; ita ut sint inexcusabiles (Rom. 1,19-20).

Contempto namque magisterio supernaturali Fidei, obcaecatur homo superbia cordis ; neque intelligit magisterium naturae, per eius altissimas causas, et vocans se sapientem fit stultus. „Legantur Homiliae S. „Ioan. Chrysost. in Cap. I. et II. Epistolae B. Pauli, et comparentur in„ter se, et cum Homilia XXII. in Epist. ad Hebraeos".

Quamobrem, etsi fides sit supra rationem, etc. ut in Schemate, pag. 16. lin. 18.

Deinde sequatur paragraphus 4. pag. 17. lin. 31. „Neque solum Fides et ratio etc." et coniungatur cum paragrapho 2. pag. 16. lin. 6. „Ac ratio quidem, fide illustrata" etc. Et concludatur caput paragrapho ultima, pag. 18. lin. 22. „Hinc sacrorum quoque" etc.

2. L. 8. melius corrigendum : *Res a nobis cognoscuntur.*

3. Lin. 8. In 1. phrasi, ad pleniorem doctrinae expositionem, post verba *obiecto autem*, sic dicendum videtur : *Quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, et quae per divinam revelationem nobis plenius manifestata sunt.* Sic enim apertius declaratur, quo sensu huismodi veritates sint obiectum fidei.

4. Lin. 14. Supprimatur testimonium, „*Deum nemo vidit umquam : Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*"

§ 2.

5. Lin. 11. Vice verbi *perspicienda* apponatur *percipienda*, ut omnis allusio ad *intuitismi* systema removeatur.

6. Lin. 22. Omittenda putantur verba : *et quadam quasi caligine obvoluta* ; nam caetera verba superius adducta, *fidei velo contecta*, satis exprimunt, ut videtur, et insuper vocabulum *velum* melius relate ad mysteria valet quam *caligo*.

7. Lin. 22. In phrasi, quae incipit : *Divina enim mysteria*, voci *caligine* substituenda proponitur vox *nube* vel *obscuritate*, utpote temperatior et rectior. Et deleatur vox *quadam*.

8. Post verba „fide suscepta", omittenda verba, *fidei velo contecta*.

Quia fides non videtur esse velum, sed potius lumen supernaturale, quod additum lumini naturali ea, quae impervia sunt humanae rationi, nobis ostendit. Ea autem, quae sic a fide nobis revelantur, remanent quadam caligine obvoluta, propterea dicatur post verbum „*suscepta*“ : *quadam tamen veluti sua caligine obvolutâ maneant*, quamdiu...

§ 3.

9. Pag. 17. a lin. 3. post ea verba „nec verum vero contradicere“, statim adiiciatur: „Attamen scientia intra suos fines sese contineat; nam iuxta Angelicum virtute primorum principiorum intellectus determinatur ad assentiendum veritati, et ista est dispositio scientis; ex persuasione auctoritatis intellectus determinatur per voluntatem, et ista est dispositio credentis. Fides non destruit rationem, sed excedit eam et perficit, non quod nullus actus rationis sit in fide, sed quia ratio non potest perducere ad videndum ea, quae sunt fidei. Sphaeram itaque, suae naturae proportionatam, non transiliat scientia, et rationabile obsequium praestet fidei, quae multum per omnem modum naturam transcendit.“ Quamobrem inanis etc.

10. Pag. 17. lin. 4. Vox *pugnantia* habet in se aliquid asperitatis quoad dictionem; nec satis latine sonant caeterae voces: *non potest nisi inde nasci*. Satius diceretur: „quamobrem hujusmodi contradictionis species, quia reapse nullimode contradictio dari potest, inde oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint“ etc.

11. Pag. 17. lin. 4. Dicatur *pugnae* (aut saltem *repugnantiae*) loco verbi *pugnantiae*; ita philologia exposcit.

12. Lin. 8. post ea verba „*Quamobrem* etc. *exposita non fuerint*“, hoc aliud addendum incisum, „vel comprehendere ratione naturali voluerint, quod comprehensionem rationis excedit, vel opinionum etc.“

13. Ubi habetur „*Opinionum commenta*“ dicatur „*opinionum falsa commenta*“, ne omnes opiniones, qualescumque sint, videantur damnari.

14. Pag. 17. lin. 9. addantur sequentia verba, aut similia, „vel ratiocinationes rite non instituantur“.

15. Lin. 9. „Rationis effatis“ substituendum, *pro veritatibus rationalibus habeantur*.

16. Lin. 13. Phrasis integra, quae incipit: *Porro Ecclesia*, ad Caput de Magisterio Ecclesiae transferenda est.

17. 3 et 4 §§ p. 17. post lineam 13. loco „Porro... omnino“ :

Equidem libenter agnoscit Ecclesia, inter humanas scientias plures esse, quae nil cum *deposito* fidei concredito commune habeant, ideoque eas plane a revelatione supernaturali independenter tractari posse; imo veris scientiis ius esse suis principiis, suis methodis, ac suis conclusionibus uti, ipsisque liberum nihil in se admittendi, quod non fuerit ab ipsis suis conditionibus acquisitum, aut quod fuerit ipsis alienum. Nec ullo modo pertimescendum sibi est a liberis investigationibus et variis scientiarum inventis, si stent legibus suis et fines proprios non transgrediantur. Verum cum sint scientiae humanae, quae in pluribus et potioribus non solum affines sunt obiecto proprio Fidei catholicae, sed etiam idem obiectum habent, in iisque tractandis non raro accidat, privatos homines in opiniones abire, quae fidei doctrinae contrariae esse certo cognoscuntur, omnes fideles eas pro erroribus, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino. Ecclesia enim,

quae una cum apostolico munere docendi mandatum accepit custodiendi depositum fidei, ius etiam et officium divinitus habet, *oppositiones*, quocumque nomine insigniantur, proscribendi, ne quis „*decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam*“ (Col. 2, 8).

18. Lin. 21. Melius dicendum, *Quae tamquam fidei doctrinae contraria ab Ecclesia reprobata fuerit.*

19. Pag. 17. lin. 27. potius quam, *sed imo*, scribendum, *quin imo* etc.

§ 4.

20. Lin. 1. dicendum : „*Tantum abest, quod fides et recta ratio inter se dissidere unquam possint, quod potius opem sibi mutuam ferunt.*“

21. Lin. 2. In initio loco istius verbuli : *sed*, dicatur „*quin etiam*“ ; quae verba videntur sensui phrasis magis apta.

22. Pag. 18. lin. 1. loco „demonstret“ dicendum „probet“ vel aliud simile.

23. Lin. 6. loco, instruat, dic. „ditet et exornet“.

24. Pag. 18. lin. 6. Periodus, quae incipit „*Quapropter*“ usque ad verbum *promoveat*, sic reformetur „*Quapropter Ecclesia, quin humanarum artium, et disciplinarum culturae obsistat, eam potius multis modis iuvat, atque promovet*“. Sensus ita clarior erit.

25. Pag. 18. lin. 10. In phrasi, *Quapropter tantum abest*, ad styli claritatem dicatur, *ut eam e contra multis modis iuvet atque promoveat.*

26. Pag. 18. lin. 11. His verbis: „Nec ipsa vetat...“ substituatur: „Dum enim consentit, et etiam omnino vult, ut humanae disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis, uberesque, Deo propitio, fructus faciant, divinae tamen doctrinae custos cavet, ne ei repugnando... perturbent...“

27. Pag. 18. lin. 11. „Nec ipsa vetat“ etc. modificentur ita : „Nec ipsa „(Ecclesia) vetat, ne hae disciplinae in suo quaeque ambitu propriis „utantur principiis, sed hoc tantum cavet, ne erroribus infectae repug„nent caelesti doctrinae, ea, quae fidei sunt, sibi subiicere praesumant, „atque tales sint, ut animos ab obsequio divinae revelationi praestando „impediant aut retardent“.

28. Lin. 11. loco „vetat“ dicatur „impedit“.

29. Pag. 18. lin. 11. In phrasi subsequenti male sonant auribus verba, *ne hac disciplinae*; et dici posset, *ne huiusmodi disciplinae.* Sed haec adnotatio minimi est momenti.

§ 5.

30. Lin. 4. in penultima phrasi, *Hinc sacrorum*, supprimenda videntur verba „*sive communi suo Magisterio, sive solemni definitione*“.

31. Ubi dicitur „*communi suo magisterio*“ dicatur potius „*ordinario suo magisterio*“. Ita ambiguae interpretationes praecluduntur.

CANONES

Can. 1. 2.

32. Loco 1 ponantur : Can. I. Si quis dixerit, Deum non esse unicum et verum Auctorem hominis rationis, et luminis Fidei revelatae ; atque utrumque mirabili sapientia et bonitate non consociasse in actu Fidei, quo homo assentitur auctoritati Dei revelantis, non propter aliud motivum, quam unice propter se ; et propter quam ipse deinde firmiter credit reliquos articulos Fidei ; anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit, Deum non disposuisse admirabili sua sapientia, ordinem Fidei invisibilem et obscurum attestari, confirmari ac illus-

trari per ordinem visibilem in creaturis ; unde fieret homo verus discipulus naturae, ac fidelis discipulus gratiae ; anathema sit.

Reliqui Canones facile possunt emendari ex dictis in animadversionibus.

Can. 1.

33. Loco „universa fidei dogmata“ substituatur „Universa religionis dogmata“.

Can. 1.

34. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata per rationem rite excultam posse inveniri et e naturalibus principiis deduci, aut posse eorumdem dogmatum, fide praelucente, intrinsecam evidentiam penetrari ; anathema sit.

Can. 2.

35. Supprimatur Canon secundus, cum ipsius mens satis et luculenter in expositione sit affirmata ; vel aliter exprimatur.

Can. 2.

36. Vel : „Si quis dixerit, omnes scientias rationales et naturales (vel disciplinas humanas), eas, quae idem obiectum cum fide habent, tractandas esse, nulla prorsus revelationis supernaturalis habita ratione, aut harum disciplinarum falso habitas conclusiones, etiamsi...“

vel : „Si quis dixerit, fidem et scientiam inter se conciliari non posse, vel illud, quod philosophice verum est, interdum esse theologice falsum, aut vice versa, vel per quamcumque scientiam posse unquam demonstrari, vel ex ea legitime deduci aliquid verae fidei contrarium ; anathema sit.

37. Can. 2. Ne magis dicat, quam veritas sinat, Canon in primo membro sic reformandus videtur : „*Si quis dixerit, singulas humanas disciplinas tractari posse nulla prorsus*“ etc. etc.

38. Can. 2. lin. 1. Ante verbum *disciplinas* addatur „omnes“.

39. Si quis dixerit disciplinas humanas, *quae supernaturalis principii quoquo modo rationes attingunt*, tractandas esse etc.

40. In 2. post verba, *revelationis supernaturalis*, addantur, ad pleniorem sensum, verba, *quae ad eas spectet.*

41. Can. 2. *aut conclusiones, quae ab earum cultoribus deducuntur*, etiamsi doctrinae catholicae etc.

42. Can. 2. Melius declaretur a sapientissimis Deputationis Patribus.

Can. 3.

43 *a*. Canon 3. supprimendus videtur, siquidem doctrina eo declarata satis exprimitur in paragrapho Canones subsequente.

43 *b*. Canon 3. videtur posse omitti ex toto, uti legitima consequentia ex praecedenti, cum loquatur de fide et moribus. In canone enim praecedenti proscribuntur omnium disciplinarum conclusiones, quae doctrinae catholicae repugnant, et anathemate percutitur, qui eas proscribi non posse affirmat ; sed si proscriptae, omnino doceri nequeunt.

Si vero canon admittatur, tunc proponitur, ut quaedam addantur verba : ex. gr. *quoad fidem et mores*, et canon sic enuncietur :

Si quis dixerit licitum esse quoad fidem et mores tenere vel tradere opiniones ab Ecclesia damnatas... etc. Nam omnibus apertum est, quod aliquando damnatae fuerunt opiniones, quae postea locum amplissimum

obtinuerunt in scholis, quandoque sanctionem ipsam facti sortitae sunt. Satis est in memoriam revocare, quod de motu terrae, atque de antipodis contigit.

Verum quidem est, quod canon ait : *opiniones ab Ecclesia damnatas.* Sed hac de re insurgere possunt quaestiones quam plurimae circa vocabulum *opiniones*, circa prohibitionem, exempli gratia, propositionum Galilei factam.

Additis autem verbis „*quoad fidem et mores*", omnis ambiguitas, nec non quaestionum occasio de medio auferri videtur.

44. Can. 3. mutandus : Si quis dixerit, propositiones sub aliqua nota damnatas licitum esse tenere vel defendere, tanquam notis illis configi non mereantur ; anathema sit.

45. Si quis dixerit, obedientiam Fidei, quam homo tenetur ad aeternam salutem praestare auctoritati Catholicae Ecclesiae in rebus fidei et morum, obscurare lumen humanae rationis, eamque reddere mancipium minus aptum ad culturam disciplinarum naturalium ; anathema sit.

46. Si quis dixerit, posse defendi ut veras propositiones damnatas ab Ecclesia Catholica ut falsas et erroneas, dummodo non fuerint damnatae tanquam haereticae ; anathema sit.

Can. 4.

47. Si quis dixerit, verum disciplinarum naturalium progressum posse aliquando falsam ostendere veritatem ullam revelationis divinae, aut demonstrare, Magisterium Ecclesiae in definiendo quolibet articulo Fidei errasse ; anathema sit.

48. Omittatur conclusio : Itaque supremi pastoralis nostri officii debitum exsequentes etc. usque ad finem capitis, nempe ad verba, „*proscriptae et prohibitae sunt*", licet sint verba gravissimo profusa affectu ; nam sequeretur, ut omnibus Concilii partibus post hanc, aut par, aut similis conclusio optaretur.

49. In fin. *Omnes officii monemus*, in haec substituantur "noverint omnes, partes sui muneris esse etc "

50. Pag. 25. lin. ult. In hac vero paragrapho, ut sensus sit plenior, et tollatur omnis ambiguitas, sic concludendum videtur : *servandi Conciliorum Oecumenicorum Decreta, et Apostolicas Constitutiones, quibus pravae istiusmodi opiniones damnatae sunt, vel in posterum damnabuntur.*

In capite quarto schematis de fide catholica paragraphus, quae incipit Neque solum (pag. 17), *sic reformata proponitur* :

Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientia [*l.* scientiam] excolat ; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis [modis] iuvet atque promoveat. Non enim utilitates ab iis ad hominum vitam dimanantes ignorat, et sicut a Deo profectae sunt, ita rite tractatas ad Deum, gratia eius iuvante, ducere confitetur. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo ; sed iustam hanc libertatem agnoscere [*l.* agnoscens] illud cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines prorsus [*l.* proprios] transgressae ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent. Neque enim fidei doctrina,

quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita fideliter custodienda et infallibiliter declaranda.

Secundus quoque ex canonibus eidem capiti subiectis in hunc modum reformatus proponitur :

Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etiamsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri neque ab Ecclesia proscribi possint ; anathema sit.

Tertius vero canonum, qui ad caput secundum pertinent, legendus est sicut prius legebatur, scilicet :

Si quis dixerit, hominem ad cognitionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex se ipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere ; anathema sit.

DOCUMENT XXII

Rapports et votes sur les amendements du chapitre IV et de la conclusion.

Ces rapports furent présentés par Mgr Pie au nom de la Députation de la Foi. Il parla le 8 avril, à la 44e congrégation, du chapitre IV et le 12 avril, à la 45e congrégation, de la conclusion.

RELATIO DE EMENDATIONIBUS CAPITIS QUARTI CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE FIDE CATHOLICA.

I. Rapport et vote sur les amendements des trois premiers paragraphes (8 avril).

Relatio R. P. D. Ludovici Pie Episcopi Pictaviensis.

Eminentissimi Praesides, Emi et Rmi Patres.

Ut tempori vestro parcam, operam mihi a Deputatione vestra de rebus fidei demandatam statim aggrediar. Et cum in huiuscemodi pertractationibus me prorsus inexpertum sentiam et agnoscam, supplebunt et peritia et benevolentia vestra.

Postquam in tribus prioribus capitibus huiusce constitutionis dogmaticae dictum est de iis, quae ad rationem et ad fidem seorsum spectant ; nunc de utriusque relationibus, nempe de recto ordine inter fidem et rationem, inter scientiam et revelationem sermo fit in isto quarto capite, quod quinque paragraphis absolvitur.

In paragrapho prima declaratur iuxta perpetuam Ecclesiae doctrinam duplicem dari pro hominibus cognitionis ordinem, naturalem nempe et supernaturalem; et secundus hic ordo ex apertissimis Scripturae verbis evincitur.

In secunda paragrapho exponitur, quales sint et quales non sint partes rationis in excolenda veritate supernaturali.

In tertia paragrapho asseritur nullam unquam oppositionem, nullam veram dissensionem dari posse inter rationem et fidem, inter revelationem et scientiam. Unde quaelibet assertiones veritati revelatae certo adversantes pro illegitimis scientiae conclusionibus haberi debent, et ab Ecclesia iure merito reprobantur.

Paragraphus quarta ulterius procedens docet rationem et fidem non tantum inter se non dissidere, sed mutuam sibi opem ferre; et hic dum iusta scientiae libertas vindicatur, eiusdem scientiae abusus et excessus praecaventur.

Paragraphus quinta impugnat systema illud iuxta quod sublimioris, ut aiunt, philosophiae munus sit dogma revelatum ad novas ac perfectiores significationes evehere. Quisnam autem scientiae tum naturalis tum revelatae possit ac debeat esse verus profectus, ostenditur ex textu celeberrimo sancti Vincentii Lirinensis.

His praemissis statim ad propositas a rmis Patribus in Congregatione generali emendationes deveniamus, humillimam Deputationis nostrae sententiam sapientissimo huiusce sacrae oecumenicae Synodi iudicio, qua debemus modestia, substernentes.

Emendatio 1a quatuor paginis integris constat. Etsi vero reformationes et additiones a rmo Patre in ea propositae suum certe habeant pondus ac pretium; non tamen debuit eas admittere Deputatio, quia novam totius pene operis formam proponunt, et ideo novae Patrum publicae discussioni subiiciendae necessario essent, et aliunde aliquibus obiectionibus dare locum videntur.

Emendatio 2a linea 8 refertur ad errorem typographicum. In schemate enim nostro legendum erat „cognoscimur" non „cognoscitur". Igitur de hac re non videntur roganda suffragia Patrum.

Emendatio 3a proponit additionem sequentium verborum: *et quae per divinam revelationem nobis plenius manifestata sunt.* Cum autem illud in praecedenti capite fuerit declaratum, et contextus etiam rem plene aut saltem sufficienter indicet, superflua forsan periodo phrasis sic obstrui videretur.

Emendatio 4a sic se habet: *Supprimatur testimonium* „Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit." Propositio illa admissa fuit a Patribus deputatis; textus enim s. Ioannis etsi apprime hic appositus, attamen necessarius non videtur.

Emendatio 5a postulat, ut vice verbi „perspicienda" apponatur vox *percipienda*, ut omnis allusio ad intuitismi systema submoveatur. Porro scrupulus ille Patribus Deputationis visus est non debere admitti, quin illic trepidaremus timore, ubi revera non erat timor.

Emendationes 6a, 7a et 8a unam eandemque phrasim respiciunt. Alter rmus emendator postulat supprimi verba „quadam quasi caligine obvoluta", et servari e contra alia verba „fidei velo contecta". Alter e contra rmus emendator postulat supprimi verba „fidei velo contecta", et servari alia verba „quadam quasi caligine obvoluta". Utrique sane placere simul difficile foret; neque causam conciliationi praebet, qui se intermedius offert. Textus autem schematis retinendus nobis videtur, quia litteris apostolicis ad rmum Archiepiscopum Monacensem datis est plane conformis. Ubi agitur de verbis „quadam quasi caligine obvoluta "allusio fit tum ad epistolam s. Petri de sermone prophetico seu de Verbo Dei, tum ad verba s. Gregorii Nysseni et s. Cyrilli Alexandrini. Et quoad voces „fidei velo contecta", ipsa a s. Ambrosio sumpserunt litterae apostolicae. Dicit s. Ambrosius: „Fidei velamine contecta".

In emendatione 9a rmus admodum Pater postulat, ut post ea verba "nec verum vero contradicere" statim adiiciatur: *Attamen scientia intra suos fines sese contineat; nam iuxta Angelicum virtute primorum principiorum intellectus determinatur ad assentiendum veritati, et ista est dispositio scientis; ex persuasione auctoritatis intellectus determinatur per voluntatem, et ista est dispositio credentis etc.* Haec autem additio, etsi vere doctrinalis, tamen et prolixior et nimis scholastica Congregationi generali, sicut et nobis, forsan videbitur. Aliunde nihil continet essentialiter, quod aut non iam dictum fuerit, aut inferius dicendum non sit.

Animadversio 10a. Vox „pugnantia" contra quam multum pugnatum fuit, erat error typographicus; sed si loco *repugnantiae* dicatur *contradictionis*, non contradicimus. Et tunc proponit Deputatio ut dicatur: *Quamobrem inanis eiusmodi contradictionis species inde potissimum oritur quod etc.*

Animadversioni 11ae provisum in praecedenti.

Animadversiones 12a et 14a postulant, ut fusius enumerentur variae erroris causae, ob quas ratio fidei contrariam sese exhibeat: hoc autem implicite et sufficienter contineri in textu schematis nobis videtur. Concilia enim non solent ad particularia descendere; et si dicerentur ea quae proponuntur, non omnia tamen adhuc dicta forent, et plura alia addenda essent. Caeterum legitime huic observationi iam erit satisfactum, si dicatur, ut modo in articulo 10° proposuimus: *inde potissimum oritur quod etc.*

Propositio 13a placere non potuit, scilicet: Ubi habetur „opinionum commenta" dicatur: *opinionem falsa commenta*. Etenim opinionum commenta, ut scitis, Rmi Patres, seu opiniones commentitiae non possunt esse nisi opiniones falsae: „falsa commenta" esset vera tautologia.

Animadversio 14a. Huic iam responsum fuit, ubi diximus de animadversione 12a.

Animadversio 15a cadit in verbum „effata" (rationis effata). Res est tantummodo styli; et tamen vox „effata" in Tullio hoc praeciso sensu non tantum adhibetnr, sed adhibenda explicatur, et idem sonat ac *axiomata* seu *principia*.

Propositionem 16am, id est ut phrasis integra quae incipit „Porro Ecclesia" ad caput de magisterio Ecclesiae transferatur, 16am hanc propositionem iam non habemus, uti videtur, discutiendam, postquam responsiones rmorum Brixinensis et Paderbornensis de eodem hoc obiecto gratas et acceptas habuerit Congregatio generalis.

Propositio facta sub numero 17° maioris sane momenti est. Ut autem res suo loco dilucidius tractetur, satius erit si, annuente doctissimo emendatore, prima pars huiusce propositionis dilata fuerit ad paragraphum sequentem, et iungenda emendationi, quae ab eodem rmo Episcopo proponitur sub numero 26°. Interea, quod ad nunc attinet, ultima pars seu, ut melius dicam, ultima phrasis eiusdem emendationis 17ae, quae incipit: *Ecclesia enim, quae una etc*„ emendatio illa a Congregatione generali admittenda proponitur: scilicet textui primae epistolae ad Timotheum ubi agitur de oppositionibus falsi nominis scientiae, scilicet de gnosi iam germinare incipienti, aptius et aequius substituatur textus ex epistola ad Colossenses, et sic dicatur: *Ecclesia enim, quae una cum apostolico munere docendi mandatum accepit custodiendi depositum fidei, ius etiam et officium divinitus habet scientiam falsi nominis proscribendi, ne quis* (et hoc addatur) *decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam etc.* suppresso verbo „oppositionibus" quod vere refertur ad systema gnosis seu gnosticorum.

Animadversio 18a est: *Melius dicendum*: *Quae tamquam fidei doctrinae contraria ab Ecclesia reprobata fuerit*; et hoc Patribus Deputationis placere non potuit, quia aliqua opinio, quae se scientificam dicit, potest manifeste cognosci fidei adversa, etsi nominatim ab Ecclesia reprobata non fuerit.

Observatio 19a, nempe: dicatur potius: *quin imo*, quam „sed imo". Non est nisi de stylo, et suffragiis Patrum non videtur subdenda.

E hae sunt, Rmi Patres, de tribus primis paragraphis huius capitis animadversiones.

Post hanc primam relationis partem emus primus Praeses dixit:

„Rmi Patres, procedamus nunc ad actum ferendi suffragia de emen-„dationibus harum paragraphorum, quas R. D. Subsecretarius singilla-„tim praeleget, ut postea de singulis suffragia exquirantur".

Emendationibus perlectis singillatim, et duplici experimento habito ut supra, suffragiorum exitus hic fuit.

Emendationem primam fere omnes reiecerunt. Secunda proposita non fuit, quia agebatur de errore mere typographico. Tertiam fere omnes reiecerunt. Quartam fere omnes admiserunt. Quintam, sextam, septimam, octavam et nonam fere omnes reiecerunt. Decimam fere omnes approbarunt iuxta modum tamen a rmo relatore nomine Deputationis propositum, ut nimirum diceretur: *Quamobrem inanis huiusmodi contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint.* Decima prima proposita non fuit, quia provisum iam erat in praecedenti emendatione admissa. Decimam secundam fere omnes reiecerunt. Decima tertia proposita non fuit, quia nonnisi de stylo agebatur. Decima quarta proposita non fuit, quia iam provisum erat in exclusione emendationis decimae secundae. Decima quinta proposita non fuit, quia agebatur de stylo. Decima sexta proposita non fuit, quia in superioribus capitibus satisfactum iam erat. Decima septima proposita fuit quoad partem secundam : *Ecclesia enim, quae una cum apostolico munere etc.* et admissa est iuxta modum a rmo relatore propositum nomine Deputationis, ut scilicet loco verborum „oppositiones quocumque nomine insigniantur proscribendi“ diceretur : *scientiam falsi nominis proscribendi.* Quoad primam partem vero huius emendationis suffragia dilata sunt, ut quod hic proponitur, coniungeretur cum illis quae proponuntur in emendatione proposita sub numero 26°. Decimam octavam emendationem fere omnes reiecerunt. Decima nona proposita non fuit, quia agebatur de stylo.

Post haec emus Praeses iterum vocavit ad ambonem rmum relatorem his verbis :

„Ascendat ambonem R. D. Episcopus Pictaviensis, ut prosequatur „relationem nomine Deputationis pro rebus fidei faciendam de quarta „et quinta paragrapho huius quarti capitis.“

II. Rapport et vote sur les amendements des deux derniers paragraphes (8 avril).

Relatio R. P. D. Ludovici Pie Episcopi Pictaviensis.

Eminentissimi Praesides, Emi et Rmi Patres.

Paragraphus quarta, ut diximus, agit de mutua et intimiori societate inter fidem et scientiam.

Emendationes 20a et 21a sunt mere grammaticales, dicendum „tantum abest quod“ pro : *tantum abest ut* ; loco ipsius verbuli „sed“ dicatur : *quin etiam.*

Emendatio 22a sic se habet : Loco „demonstret“ dicendum *probet*, vel aliud simile. Hanc autem emendationem putavit Commissio esse omittendam, quia si veritas intrinseca fidei non demonstretur, certe fundamenta ipsius aliquo vero sensu possunt demonstrari ; et hoc sensu, quid solemnius, quid usitatius in traditione ecclesiastica, quam evangelica demonstratio, demonstratio fidei ?

Emendatio 23a proponit ut loco „instruat“ dicatur : *ditet et exornet.* Haec quidem verba substitui possent, sed ut ingenue fatear, ea alibi adhibebimus, ubi agetur de relationibus inter naturam et gratiam, in uno ex subsequentibus capitibus.

Emendationes 24a et 25a tantummodo etiam respiciunt ad stylum, et constructionem phrasis : *Quapropter Ecclesia, quin humanarum artium*

et disciplinarum, etc... eam potius etc.; et alia : *Quapropter tantum abest*, ad styli claritatem dicatur, *ut eam e contra etc.*, quod forsan grammatice in dubium vocari posset.

Quapropter veniamus nunc ad emendationem 26am, cui, ut diximus, iungenda erit prima pars emendationis sub numero 17a (26 cum num. 17). Prior emendatio sic incipit : *Equidem libenter agnoscit Ecclesia, inter humanas scientias plures esse, quae nil cum deposito fidei concredito commune habeant, ideoque eas plane a revelatione supernaturali independenter tractari posse ; imo veris scientiis ius esse suis principiis, suis methodis ac suis conclusionibus uti, ipsisque liberum nihil in se admittendi, quod non fuerit ab ipsis suis conditionibus acquisitum, aut quod fuerit ipsis alienum. Nec ullo modo pertimescendum sibi est a liberis investigationibus et variis scientiarum inventis, si stent legibus suis, et fines proprios non transgrediantur. Verum cum sint scientiae humanae, quae in pluribus et potioribus non solum affines sunt obiecto proprio fidei catholicae, sed etiam idem obiectum habent, in iisque tractandis non raro accidat, privatos homines in opiniones abire, quae fidei doctrinae contrariae esse certo cognoscuntur, omnes fideles eas pro erroribus, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino.* Et secunda emendatio nempe 26a proposita sic se habet : *His verbis* „nec ipsa vetat" *substituatur* : *Dum enim (Ecclesia) consentit et etiam omnino vult, ut humanae disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis, uberesque, Deo propitio, fructus faciant, divinae tamen doctrinae custos cavet, ne ei repugnando etc.* Certissime, Rmi Patres, Ecclesia agnoscit nonnullas scientias proprio suo objecto aut nihil aut vix aliquid commune habere cum directo objecto fidei. Eas tamen scientias in se bonas, nobiles, imo et, si recte tractentur, quodam sensu religiosas esse non diffitetur, cum in ipso scientiae cuiuscumque naturalis objecto saltem vestigiis suis adsit ille Deus, cuius nomen est admirabile in universa terra. Attamen Deputationis Patres non censuerunt, per solemnem declarationem et quasi definitionem alicuius Concilii oecumenici, absolutam quarumdam scientiarum independentiam seu immunitatem relate ad fidem, ideoque ad Ecclesiam, proclamari posse ac debere ; praeterquam quod enim ad sacram theologiam, ut ait s. Thomas, pertineat ancillas suas, i. e. inferiores scientias, vocare ad arcem, sane Ecclesiae officium non est alicuius scientiae particularis independentiam affirmare ; et hanc insuper affirmare non posset, quin determinaret simul, quaenam et quales particulares scientiae hac immunitate fruerentur (*voces approbationis*).

Hac autem facta reservatione, iudicaverunt Patres Deputationis legitimo rmi emendatoris aliorumque doctissimorum Patrum voto posse et debere obsecundari, ideoque tum huius quartae paragraphi, tum canonis correspondentis nova redactio in hesterna Congregatione fuit distributa. Additiones propositae iudicio vestro, Rmi Patres fere non constant nisi verbis ex duabus apostolicis litteris pene syllabatim desumptis. Sed ob summam typographi festinantiam irrepserunt in hoc folium plures mendae typographicae, v. gr. linea 7. § 4, „eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientia excolat", (÷ in folio heri distributo linea 7) pro *scientia* legatur *scientiam* ; linea 17 „ut hanc multis iuvet" legatur „ut hanc multis *modis* iuvet". Vox reperiebatur in ipsomet schemate antea distributo. Alius error gravissimus, propter quem non potuit mens Deputationis nostrae cognosci, est linea 25 „sed iustam hanc libertatem *agnoscere*" ; legatur : „iustam hanc libertatem *agnoscens*".

Non intelligentibus pronuntiationem gallicam nonnullis Patribus, orator

repetita voce ait „agnoscens“ *iuxta italicum pronuntiandi modum et postea subdidit:*

Gallus sum et gallice loquor: multifariam multisque modis nunc sicut olim dicitur.

Linea 28 „aut fines prorsus“ legatur: „aut fines *proprios*“. Denique in ipsomet canone non esset indifferens, si aliquod comma sic esset appositum: *Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri* (et hic comma seu virgula), *neque proscribi ab Ecclesia possint, anathema sit*. Ut dixi, Rmi Patres, additiones sic propositae fere omnes non constant nisi ex verbis ex duabus apostolicis litteris desumptis. Quod si nova illa redactio vobis placeret, iam observationi 27ae satisfactum videtur in hac redactione proposita.

Emendationes 28a et 29a non spectant nisi ad stylum: loco „vetat“ dicatur *impedit*; loco „ne hae disciplinae“ dicatur, et reipsa dicemus: *ne huiusmodi disciplinae*.

Emendatio 30a respicit eas voces „sive communi suo magisterio sive solemni definitione“ quas hic supprimendas postulatur. Et reapse, Illmi ac Rmi Patres, cum in alio praecedenti capite illud iam fuerit expressum, Deputatio censuit has voces „sive communi suo magisterio sive solemni definitione“ hoc in loco posse supprimi.

Quo dicto, emendatio 31a iam nullum obiectum habet. Et postea deveniendum erit ad canones.

Hac altera relationis parte absoluta, emus primus Praeses dixit:

„Rmi Patres, procedamus nunc ad suffragia ferenda de emendatio- „nibus quartae et quintae paragraphi, quas R. D. Subsecretarius sin- „gillatim praeleget, ut postea de singulis exquirantur suffragia.“

Perlectis emendationibus et duplici experimento subiectis iuxta methodum et ordinem alias expositum, suffragiorum exitus hic fuit:

Vicesima et vicesima prima propositae non fuerunt, quia agebatur de re mere grammaticali. Vicesimam secundam et vicesimam tertiam fere omnes reiecerunt. Vicesima quarta et vicesima quinta propositae non fuerunt, quia agebatur tantummodo de stylo. Quoad emendationem vicesimam sextam coniunctam cum prima parte emendationis decimae septimae, a Deputatione fidei paragraphus, quae incipit. „Neque solum“ (pag. 17) in folio typis impresso, addito emendationibus quarti capitis et Patribus heri distributo, denuo reformata proposita est; hanc autem reformationem fere omnes admiserunt. Vicesima septima proposita non fuit, quia ei locus esse amplius non poterat post admissam emendationem in folio addito, de qua supra. Vicesima octava, et vicesima nona propositae non sunt, quia agebatur de stylo. Tricesimam fere omnes admiserunt. Tricesima prima proposita non fuit, quia per admissionem praecedentis emendationis iam ei satisfactum erat.

Postea emus primus Praeses rmum Episcopum Pictaviensem ab ambonem vocavit, ut prosequeretur relationem nomine Deputationis pro rebus fidei faciendam de canonibus, qui ad hoc quartum caput pertinent.

III. Rapport et votes sur les amendements des canons (8 avril).

Relatio R. P. D. Ludovici Pie Episcopi Pictaviensis.

Eminentissimi et Reverendissimi Patres

Quatuor nobis offeruntur canones. Primus refertur ad doctrinam in

paragrapho prima et in paragrapho secunda expressam. Secundus et tertius spectant ad doctrinam tum paragraphi tertiae tum paragraphi quartae. Quartus tandem ad doctrinam paragraphi quintae refertur.

Porro duo novi canones, sub numero 32° propositi, cum spectent ad ea, quae in prima animadversione totius huius schematis continebantur, et quae a Congregatione generali admissa non fuere, nec ipsi admittendi videntur.

Animadversio 33ª postulat ut loco „universa fidei dogmata" substituatur: *universa religionis dogmata*; quia, ut dixit doctissimus praesul, sic canon extenderetur ad eas etiam veritates naturales, quae iam sub revelationis deposito continentur. Sed hoc non potest pertinere ad scopum huiusce primi canonis, nec ita ferirentur ii novatores, quos intendebat epistola SSmi Domini Nostri ad Archiepiscopum Monacensem, et quos nos etiam isto canone attingere voluimus

Emendatio 34ª visa est Patribus Deputationis idem plane dicere ac ipsemet textus schematis; sed pluribus et forsan minus aptis verbis.

In emendatione 35ª postulatur, ut canon ille vel supprimatur vel aliter exprimatur. Et observatio 42ª in pagina sequenti sic se habet: *Melius declaretur a sapientissimis Deputationis patribus.*

Quod quidem facere enisa est Deputatio vestra, Rmi Patres. Omnibus porro animadversionibus obviatum iri, omnes aequivocationes tollendas fore putavimus, si sensus primae partis huiusce canonis per secundam ipsius partem determinaretur et diceretur: *Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse* (in folio heri distributo post paragraphum pag. 2 huius folii linea 5).

In praecedenti canone in schemate nostro ante ipsius ultimam reformationem dicebatur: „Si quis dixerit, disciplinas humanas tractandas esse nulla prorsus revelationis supernaturalis habita ratione: aut harum disciplinarum conclusiones, etiamsi doctrinae catholicae repugnent, ab Ecclesia proscribi non posse." Contra canonem sic vobis oblatum multae insurrexerunt animadversiones. Putavimus, ut modo dixi, omnes aequivocationes tollendas esse, si sensus primae partis per secundam eiusdem canonis partem determinaretur, et diceretur: *Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae* (non sunt verae assertiones scientiae, si doctrinae revelatae adversantur) *retineri, neque proscribi ab Ecclesia possint, anathema sit.* Quod si nova redactio admittatur a Patribus in hocce concilio generali, reliquis animadversionibus a 36ª usque ad 42ᵃᵐ satisfactum erit; scilicet eae omnes emendationes eo tendunt, ut determinatum magis faciant sensum huius primae partis canonis a secunda parte separatae, scilicet ut dicatur: *singulas* vel *omnes disciplinas* (1); vel dicatur: *disciplinas, quae supernaturalis principii quoquo modo rationes attingunt*; vel dicatur: *quae ad eas spectet*; vel dicatur: *aut conclusiones quae ab earum cultoribus deducuntur*; et ante omnia ut dicatur: *eas quae idem obiectum cum fide habent*; si, inquam, nova redactio admittatur, tunc superfluae fiunt reliquae observationes.

Animadversio 43ª *(a et b)* postulat supprimi canonem tertium. Sane, Emi ac Rmi Patres, principium in hoc canone assertum Deputationi vestrae in se utilissimum ac pernecessarium visum est. Hoc enim princi-

(1) Emendatio sub num. 38° quae ait: „Ante verbum *disciplinas* addatur *omnes*", non fuit proposita in Congregatione generali, sed privatim exhibita Deputationi de fide ab Archiepiscopo s. Francisci.

pio secluso, scilicet admisso, quod iudicia doctrinalia conscientias non ligent, si error aliqua nota citra notam haeresis ab ipsamet Ecclesia configitur, tunc pene tota ruit auctoritas doctrinalis Ecclesiae, et exercitium hierarchicae gubernationis fit impossibile. Certe ubi Dominus noster Iesus Christus dixit (1): *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*; tunc non agebatur de Ecclesia tantum haeresim condemnante.

Attamen, Rmi Patres, et praecise etiam propter gravitatem rei, cum doctrina huic canoni respondens reapse, sicut merito observatum est a nonnullis Patribus, non fuerit in ipso capite sufficienter exposita, sed tantummodo insinuata, censuerunt Patres deputati satius esse, re serius perpensa, si assertio tanti momenti, tantae necessitatis, et expressius et clarius exprimeretur in altera constitutione, ubi de potestate doctrinali iudiciaria Ecclesiae directe et ex professo agatur. Quod si ita faciendum iudicaveritis, observationes hunc canonem iam praetermittendum spectantes et ipsae iam praetermitti deberent, scilicet 44ª, 45ª et 46ª.

Quoad canonem quartum, emendatio sub numero 47° deputatis Patribus non placuit, quia nullo modo eos respicere visa est tum pseudophilosophos tum pseudo theologos, quos impugnat doctrina in capite expressa.

Denique, Patres Emi et Rmi, tres ultimae observationes referuntur ad monitum post canones expositum. Cum autem iam ex hoc ambone dictum fuerit monitum illud, in secunda praesertim sui parte prorsus necessarium, tamen exprimendum non esse nisi post ulteriorem dogmaticam constitutionem, sufficiat ut de tribus illis observationibus memoria a Patribus deputatis retineatur.

Et haec sunt, Emi Praesides et Venerabiles Patres, quae pro tenuitate et insufficientia mea nomine Deputationis de rebus fidei iudicio vestro sapientissimo submittenda habui: deficiente alio quovis merito, non defecit, ut spero, meritum brevitatis.

Hac postrema relationis parte absoluta, emus primus Praeses ait:

,,Rmi Patres, procedamus nunc ad actum ferendi suffragia de emen-,,dationibus canonum, qui ad quartum caput referuntur, quas R. D. ,,Subsecretarius singillatim praeleget, ut postea de singulis exquirantur ,,suffragia.“

Perlectis emendationibus, et per duplex experimentum Patrum mente perspecta, hic suffragiorum exitus fuit.

Emendationem tricesimam secundam, tricesimam tertiam et tricesimam quartam fere omnes reiecerunt. Emendatio tricesima quinta a rmo relatore proposita est nomine Deputationis iuxta modum in folio addito exhibitum, ut nimirum secundus ex canonibus huius capitis ita reformaretur: *Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones etsi doctrinae revelatae adversentur tamquam verae retineri, nec proscribi ab Ecclesia possint, anathema sit*; hanc autem emendationem fere omnes admiserunt. Qua admissa satisfiebat reliquis emendationibus, quae leguntur a numero tricesimo sexto usque ad numerum quadragesimum secundum inclusive, quaeque idcirco propositae non sunt. Emendationem quadragesimam tertiam (*a* et *b*) fere omnes admiserunt iuxta modum a Deputatione propositum, ut nimirum res, de qua hic sermo, ad aliud caput remitteretur, ubi agitur de potes-

(1) Matt. 18, 17.

tate doctrinali Ecclesiae. Hinc locum habere amplius non poterant, quae proponebantur sub numeris 44°, 45° et 46°. Quadragesimam septimam emendationem fere omnes reiecerunt. Quoad quadragesimam octavam, quadragesimam nonam, et quinquagesimam cum referrentur ad monitum, quod in fine propositi schematis habetur, et cum monitum ipsum iuxta mentem Deputationis non in hac, sed in sequenti constitutione poni debeat, quae secundam partem complectitur schematis, quod primo propositum fuit Patribus; idcirco Patres interrogati sunt, utrum iuxta mentem Deputationis convenirent de tribus his emendationibus in sequenti constitutione rationem habendam esse; et more solito experimento facto, fere omnes affirmative responderunt.

MONITUM

Schematis *de Fide catholica* Conclusio, quae incipit ab his verbis: „*Itaque supremi pastoralis*“ etc.,, cum de ea in ultima Congregatione generali non satis explicite actum fuerit, adhuc debet subiici Patrum suffragiis, antequam ad ferenda suffragia de toto Capite IV. procedatur. Ideo monentur Reverendissimi Patres, ut hunc in finem *Emendationes de Capite quarto* huius Schematis propositas etiam ad proximam Congregationem generalem secum deferre velint.

E Secretaria Concilii Vaticani d. 9. Aprilis 1870.

Iosephus Ep. S. Hippolyti.
Secretar.

IV. Rapport et vote sur les amendements de la Conclusion (12 avril).

Relatio R. P. D. Ludovici Pie Episcopi Pictaviensis.

Eminentissimi Praesides, Emi ac Rmi Patres.

Antequam placito vestro proponatur integra illa prima constitutio synodalis, aliquid explicandum superest tum circa totum huiusce constitutionis complexum, tum quoad conclusionem ipsi apponendam.

Prius schema discussioni vestrae traditum decem et octo capitibus constabat. Cum autem a rmis Patribus, qui in Congregatione hac generali sermonem habuerant, id nobis persaepe ac praecipue fuisset commendatum, ut materiae in breviori et strictiori opere contraherentur, priorem numerum capitum ad dimidium reduximus, scilicet ad novem solummodo capita, quorum priora quatuor ad generalem fidei notionem eiusque praeambula spectant, quinque vero reliqua ad praecipua ea fidei mysteria, quae impietas huius saeculi potissimum impugnavit. Et haec quinque capita, ut dictum est in adnotationibus huiusce novi schematis, tractant 1° de ssma Trinitate, 2° de hominis creatione et natura, 3 de hominis elevatione et lapsu, 4° de mysterio Verbi incarnati, 5° de gratia Redemptoris.

Ex parte quidem Deputationis, Rmi Patres, secunda illa pars operis iam tractata et absoluta fuit; vixque summa manus ei impendenda supererat, ut cum debita relatione Concilii Patribus distribueretur. Attamen quia res cunctationem iam non ultra admittebat, et quia aliunde constitutio unica de fide prolixior forsan visa fuisset, ipsa in duas constitutiones seorsum publicandas partita fuit, alteram de fide catholica, alteram de praecipuis mysteriis fidei. Nunc autem, cum priori nostrae constitutioni iam evulgandae aliqua conclusio necessario addenda sit, pluribus hac de re libratis consiliis, satius visum est ipsam conclusionem statim adaptari, quae novem nostris capitibus postponenda destinabatur,

reservata facultate hanc eandem conclusionem iterandi sive transferendi in editione seu publicatione finali post alteram constitutionem dogmaticam. Ad hoc nos movit non solum quod iam ex hoc ambone diximus iuxta mentem perplurimorum Patrum, quod nempe secunda pars huius conclusionis necessario retinenda est; sed alia etiam accessit ratio non parvi ponderis. Scitis enim, Venerabiles Patres, quod schemata nostra, tum primigenia, tum renascentia, pluribus in locis infeliciter divulgata typisque impressa huc illuc pervolitant: expedit igitur ut iis, qui nos oculo attentiori et forsan minus aequo observant, nullam praebeamus ansam falso sibi persuadendi ac statim in vulgus spargendi, nos a tali vel tali proposita doctrina recessisse. His dictis, cum tres animadversiones seu emendationes hanc conclusionem spectantes, in ultima Congregatione generali dilatae fuerint nec examinatae et suffragiis Patrum propositae; ante omnia necessarium prorsus evadit, hoc hodierna die supplere.

Emendatio prima sub numero 48° sic se habet: *Itaque supremi pastoralis nostri etc. licet sint verba gravissimo profusa affectu, omittenda tamen videntur; nam sequeretur, ut omnibus Concilii partibus postea aut haec aut similis conclusio optaretur.* Iam huic observationi in se convenientissimae responsum fuit; eam igitur observationem seu emendationem amovendam esse putamus, servata facultate hanc eandem conclusionem, ut dixi, suo loco iterum reponendi.

Secunda observatio sub numero 49° ait: *In fine pro* „omnes officii monemus" *substituatur: noverint omnes partes sui muneris esse etc.* Propositio illa, ut puto, non attinet nisi ad stylum, et de ea sicut et de aliis aliquibus observationibus scripto nobis traditis, ratio poterit haberi, quin res extollatur ad momentum emendationis suffragio publico proponendae.

Ultima tandem, seu emendatio 50ª, proponit quod sequitur: *In hac vero paragrapho, ut sensus sit plenior, et tollatur omnis ambiguitas, sic concludendum videtur: servandi conciliorum oecumenicorum decreta et apostolicas constitutiones, quibus pravae istiusmodi opiniones damnatae sunt, vel in posterum damnabuntur.* Haec autem verborum substitutio iuxta sententiam Deputationis nostrae recederet a mente et scopo huiusce moniti, cuius obiectum aperte et simpliciter pandemus.

Per decursum revisionis ac secundae discussionis huiusce nostri schematis, non dicam aliqui, non dicam plurimi sed perplurimi Patres doluerunt apud nos, quod relate ad hanc vel illam opinionem, tum primum ab episcopis ordinariis, tum postea a sancta Sede interdictam et prohibitam, Concilium Vaticanum se quasi abstinere videretur, sicque redivivis controversiis dari locum posse. Et quid ad haec responderunt Patres deputati? Responderunt ante omnia, se semper paratos esse ad exsequenda mandata sacrae huius oecumenicae Synodi, cuius humiles servos et interpretes, et dociles operarios se agnoscunt. Interea tamen adiecerunt ad Concilium generale non pertinere in suis capitibus et canonibus nisi ea tradere, quae fide certa declaranda sunt, ea autem reprobare, quae fidei contraria demonstrantur. Ne autem ex hoc silentio Concilii detrimenti aliquid afferatur saluberrimae auctoritati, qua Sedes apostolica, tamquam mater ac magistra vigilantissima, errores hic aut illic insurgentes ab episcopis ordinariis ut plurimum denuntiatos amovit et reiecit, oecumenica Synodus, gravi monitione capitibus et canonibus postmissa, neminem ignorare posse declarat, ea omnia, quae circa huiusmodi controversias doctrinales et pravas opiniones a sancta

Sede fuerunt decreta et sancita, sollicite ac religiose servanda esse; et hac de causa textui schematis standum censuerunt esse Patres deputati, iudicio tamen emorum et rmorum Patrum omnia submittentes. Et nunc liceat mihi paucissima verba addere.

Ecce, Venerabiles Patres, priorem Concilii Vaticani constitutionem, Deo adiuvante, accedentibus vestris suffragiis, sumus absoluturi. Hoc autem opus si accurate ad suum effectum deveniret, attendetur tanquam opus vere synodale seu conciliarium. Omnium oculis statim affulget, quod sane antequam sacra Synodus congregaretur, et ne esse videremur quasi homo qui tentat Deum, prima materiarum accessio, seu aliqua praeparatio praesynodalis omnino necessario habebatur, quod utilissime factum fuisse inique prorsus negaretur. Cum autem solis Apostolorum successoribus divinae factae sint promissiones, et quia etiam iuxta Angelicum in quolibet opere consummatio supremae arti aut virtuti reservatur, et proinde episcoporum est perficere, quod ab inferioribus ministris praeparatum fuit aut inceptum, oportebat omnino universam rem, assistente desuper Spiritu sancto, referri ordini vestro, opportune iterum iterumque subiici ac transformari, et ex aliquo primo foetus germine in veram perfectam mensuram aetatis, et vitae plenitudinem assurgere.

Quod factum hodie coram Deo laetamur; ecce enim, prout nunc iacet, ecce dogmatica constitutio, primus utique terrae nostrae fructus, sed uberioris segetis pignus et primitiae. Opus omnino vestrum est, Patres Rmi, non paucorum opus, non plurimorum, sed omnium, ideoque nullius privati nomine, nullius singularis ingenii, nullius particularis scholae tessera insignitum, universae vero, idest, sanctae catholicae Ecclesiae Romanae spiritu animatum, luce perfusum, auctoritate prolatum, ideoque illi soli attribuendum, qui solus cum Deo Patre et Filio eius nomen possidet gloriosum.

Inde, Venerabiles Patres, postquam argentum illud igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum et quandoque plusquam septuplum, supremo Capiti nostro, Domini nostri Iesu Christi in terris Vicario, SSmo Patri Pio IX. placuerit, nos omnes et singuli, haecce priora Concilii Vaticani oracula in publica sessione solemniter promulgantes, uno corde, una voce communique iure dicemus: *Visum est Spiritui sancto et nobis.*

Hac relatione absoluta, suffragia exquisita sunt de emendatione quadragesima octava; et cum, duplici habito experimento, constitisset in sententiam Deputationis devenisse Patres, emus primus Praeses dixit:

„Declaramus itaque hanc emendationem, iuxta quam prorsus omitti „deberet conclusio incipiens ab his verbis ‚Itaque supremi pastoralis‘, „a Congregatione generali fuisse exclusam, et proinde ipsam conclusio„nem, eo sensu quem exposuit rmus D. relator, fuisse admissam“.

DOCUMENT XXIII

Réserves formulées par les Pères qui exprimèrent leur suffrage par un « Placet juxta modum » au vote provisoire émis à la 45e congrégation le 12 avril.

EMENDATIONES AD CONSTITUTIONEM DOGMATICAM DE FIDE CATHOLICA

a Reverendissimis Patribus propositae.

1. Quamvis dicendo „Placet" significaverim, mihi non esse in animo obsistere Decretis in 4 primis Capitibus Constitutionis dogmaticae de fide catholica propositis; intime tamen persuasum mihi est, eadem minus idonea esse, quae diris nostri aevi valeant mederi vulneribus.

2. Non placet, quod in Constitutione nunquam inveniuntur verba: „Sancta Synodus oecumenica", prout legimus in decretis Tridentinis.

3. Placet cum aliquibus in stylo correctionibus, quarum plures proposui.

4. Stylus, utpote interdum durus, non bene latinus, germanismum redolens, corrigatur, ut decreta Concilii Vaticani se etiam sermonis forma irreprehensibili commendent.

Exempli gratia Prooemium incipiat:

Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus Noster Iesus Christus, ad Patrem caelestem rediturus, quemadmodum Ecclesiae suae in terris militanti, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi se adfuturum promisit, ita dilectae sponsae praesto esse etc. etc. usque destitit. Haec vero salutaris eius providentia, cum ex aliis innumeris beneficiis continenter apparuit, tum iis manifestissime testatam se reddidit fructibus, qui e Conciliis oecumenicis, ac nominatim e Tridentino, iniquis licet temporibus celebrato, in christianam rem publicam redundarunt copiosissimi. Hinc etc. etc. usque ad finem §.

Verumtamen haec aliaque plurima emolumenta, quibus Ecclesiam divina clementia per ultimam praecipue Synodum oecumenicam locupletavit, grato, quo par est, animo revolventes, gravissima non deflere non possumus mala inde potissimum enata, quod eiusdem sacrosanctae Synodi auctoritatem multi contempserint, vel sapientissima neglexerint decreta.

Nemo siquidem ignorat, haereses, a Tridentinis Patribus proscriptas, reiecto divino Ecclesiae magisterio, doctrinam fidei privati cuiusvis arbitrio subiecisse, atque *eapropter* in sectas paulatim dissolutas esse multiplices, quo iam evenit, ut iisdem inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud multos labefactaretur, atque ipsa Biblia, quae primo doctrinae christianae unicum fontem et iudicem extollebant, non amplius pro divinis haberi, demum mythicis commentis accenseri coeperint.

5. Dicere potui, placet, nulla siquidem suffragandi datur alia formula, sed melius ex mente dixissem, *transeat*. In multis siquidem enuntiatio veritatis invenitur, tamen accurata desideratur errorum quibus diversimode impetitur, profligatio.

Talibus tamen et aliis huiusmodi relictis, doloris, melius dicam stuporis, pluribus Patribus seminarium fuit, quando de Providentia Dei super Ecclesia tractabatur, quasi affectata omissio Summi Pontificis et universum exaggerata Providentia argumentum ex Conciliorum auxilio, minime ex regimine et magisterio Petri explicite desumptum.

Nec sufficere dicatur additio de Sanctionibus Pontificiis potius ad aliquam consolationem quam ad iustam satisfactionem concessa : praesertim post nonnullorum de Concilio reclamationem, simul et acceptam promissionem iura Sanctae Sedis, et Ipsius erga Ecclesiam benemerita, si non eorumdem verborum, similis tamen significationis, clausulae alicuius introductione fore manifestanda. Periculosae omissionis et insufficientis substitutionis pondus senserunt omnes, paucis gratum, flebile pluribus, nemini medium.

Quoad sermonem, revera subtilitates et ornamenta minime quaerenda erant, perspicua tamen enuntiatio veritatis, et modestum orationis artificium. Cuius perspicuitatis exigentia omissa videtur, verbi gratia ubi Veritas increata enuntiatur, quae vox oratoribus permittitur, secus autem theologis, quibus non est creatio veritatis, sed temporalis sempiternae immanentis, manifestatio. Pariter, quando, per non satis accuratam libertatis intelligentiam, scientiarum libertatem ab Ecclesia proscribi supponitur, cuius prohibitionibus non libertas, sed sola independentia condemnatur.

Quoad sententiarum dispositionem, facile, ut credo, praesertim in initio prooemii melior inveniretur, et dicentium sicut et dictorum dignitati convenientior.

PROOEMIUM.

6. Suffragio suo conditiones adiiciendas existimat iuxta regulam 14m, sine quibus non absolute placet Constitutio : quamvis libenter revereatur, quidquid a Patribus approbatum Summus Pontifex confirmare iudicabit.

1. Non placet in pag. 4. linea 16. „*hinc ille etiam assiduus* etc.“ Vellem inserere vocem *auctus* vel similem : sic — *hinc auctus ille assiduus*.

Ratio, ut non videamur favere errori haereticorum, qui inaniter iactant inter progressus huius saeculi, quod nunc primum ortus est zelus pro conversione barbarorum, fructus, ut dicunt, suarum *Societatum Missionariorum*, praesertim in Anglia et America.

Notandum, quod supra in enumeratione aliorum fructuum e Concilio Tridentino profectorum mentio fit *augmenti*, *multiplicationis* etc. Nonne melius erit hic similiter commemorare *augmentum* : ut non videamur immemores virorum gloriosorum, qui labores Apostolicos in aliis saeculis Ecclesiae sustinuerunt ?

2. Non placet in pag. 4. linea 16. „*ad sanguinis effusionem*“ : vellem potius „*ad sanguinis SUI effusionem*“.

Est quidem res non magni momenti, sed nollem dare locum cavillationibus etiam *iocosis* inimicorum, quasi propagaremus religionem per gladium. Leve est, sed facile corrigitur.

3. Non placet pag. 5. l. 11, *Tum nata est et late* etc. Vellem sic legere : *Tum late nimis per orbem vagata est*.

Ratio, quia doctrina rationalismi seu naturalismi revera nata est longe antea, ni fallor, non solum quia implicite continetur in omni haeresi, quae praeponit rationem individuam auctoritati Ecclesiae, sed quia in aliquibus doctrinis falsis etiam antiquis *explicite docebatur* excellentia rationis naturalis.

7. Pag. 5. linea 9. ubi pro „Tum nata est et late nimis" etc. dicendum puto „Tum late nimis" etc.

Falsum enim est, „Tum" (i. e. novissimis temporibus, scil. post profligatas a Concilio Tridentino haereses) primum natam esse naturalismi et rationalismi doctrinam, id quod Berengarii, Abelardi, Amalrici de Bena, Davidis de Dinanto exemplis facile probatur. Insuper contemptus auctoritatis sacrorum bibliorum iam effectus et sequela est rationalismi, ergo hic prior est illo contemptu quoad tempus.

Pag. 5. lin. 35. ubi pro „plures etiam e catholicae ecclesiae filiis" etc. dicendum censeo : plures etiam scriptores catholicam fidem asserturi vel dum catholicam fidem asserere nituntur.

Etenim si legitur „plures etiam e catholicae ecclesiae filiis" videri possit, inter eos omnes, qui pag. 5. alinea 1. (Tum nata est etc.) recensentur scriptores, non catholicos, sed eos ad unum omnes acatholicos fuisse, id quod Iordanum Brunum, Voltairium, Diderotum, alios si spectaveris falsum esse, in aprico est.

8. 1. Ex periodo *Haec vero* tollatur mentio Concilii Tridentini, eaque fiat in periodo distincta hoc modo „*tum iis manifestissime conspecta est fructibus qui orbi christiano e Conciliis Oecumenicis amplissimi provenerunt. Quod maxime de Tridentina Synodo, iniquis licet temporibus celebrata, dicendum est. Hinc enim etc.*"

Ratio est quia effectus qui enumerantur in periodo *Hinc*, ex contextu aeque referri videntur ad omnia Concilia Oecumenica, sed reapse, ut ex eorum recensione patet, pertinent tantum, aut saltem potissimum, ad Concilium Tridentinum.

2. Si admittitur superior emendatio, ex periodo *Verumtamen* delenda est vox *maxime*.

3. Ante verbum *asserebantur* addendum videtur *ab haereticis* vel *ab earum* (haeresum) *auctoribus*, vel *sectatoribus*. Quia secus prima fronte alicui videri posset, illam assertionem pertinuisse ad omnem Ecclesiam.

In fine Prooemii addenda videtur declaratio expressa iuxta aliquam ex formulis, ut plurimum adhibitis a Tridentina Synodo in fine prooemiorum, qua dicatur „nemini licere absque salutis dispendio sentire, docere aut praedicare secus ac in hac Constitutione declaratur ac definitur". Idque ut expressius refellatur error eorum (et nominatim Denzinger), qui contendunt *ea tantum* ex capitibus tenenda esse ut definita, quae subiectis canonibus respondent.

8 *b*. Ut pagina 3. post verbum *eius*, linea 25. addatur: *necnon toto supernaturali ordine sublato*.

CAP. I.

9. Non placet in pag. 7. linea 25. *Sancta Romana Ecclesia*. Vellem omittere vocem *Romana* : aut si Patres renuunt, tunc vellem adiungere alias voces, uti *Apostolica* etc. et ita eas collocare, ut appareat, hic non dari *nomen* distinctivum Ecclesiae, sed descriptionem, sive enumerationem notarum.

Ratio 1. Ne videamur sequi vestigia sectarum haereticarum, quae in

conciliabulis suis praesertim in America non raro disputant de nomine, quo appellari iure possint, et novum nomen in capite actorum inscribunt, iuxta mutationes temporum.

Ratio 2. Ne videamur favere errori eorum, qui docent, Catholicam Ecclesiam exstare tribus ramis, quorum unusquisque nominari potest *Catholica*, adiuncta distinctione, nempe, *Anglica Catholica*, *Graeca Catholica*, et *Romana Catholica*. Quamvis idea haec accuratius exprimeretur voce Romano-Catholica : attamen ad hanc distinctionem minime animadvertere volent inimici : eo magis quod nequit fieri distinctio in traductione anglica, quae unam formam tantum admittit „Roman-Catholic".

Ratio 3. Contra omnes haereticos argumentum cogens habetur in hoc, quod idem est nomen Ecclesiae nostrae, ac nomen ab omnibus sectis praedicatum de Ecclesia Dei in *Symbolo Apostolorum*, quam omnes profitentur, vid. *Sancta Ecclesia Catholica*. Quo strictius et simplicius hoc nomen retinere possimus, eo clarius videbitur iis, qui bona fide quaerunt veritatem, Ecclesiam nostram eandem esse quam Apostoli fundaverunt.

Quinimmo, si brevius adhuc diceretur, *Sacrosancta Ecclesia Dei credit* etc., tunc etiam clarius ostenderet Ecclesia se non agnoscere aliam quamcumque Ecclesiam, et omnes sectas nonnisi per usurpationem assumere sibi nomen ecclesiarum.

Notandum, quod omnimode vellem *retinere* titulum *Romana*, quasi notam vel tesseram verae religionis, et eam exprimere in *textu* : sicuti in praxi saepe hanc notam exhibeo, et inter glorias Ecclesiae annumero. Solummodo nollem eam hic in capite poni quasi nomen necessarium, sine quo Ecclesia nostra non posset adaequate appellari.

10. Constitutio dogmatica de fide catholica mihi placet exceptis sequentibus :

Non placent verba initii cap. I. : „Sancta *Romana* catholica Ecclesia" ;

1. quia aliquam speciem prae se ferunt pro illo errore multorum Protestantium, imprimis episcopalium in Anglia, ac si plures ecclesiae catholicae existerent. Multo magis mihi placeret, si hic diceretur : „Sancta catholica Ecclesia" vel „Sancta Ecclesia catholica et apostolica" ; et si alio in loco, v. g. ab initio cap. II. poneretur : „Sancta Romana Ecclesia."

2. quia haec formula : „Sancta Romana catholica Ecclesia" speciem quandam innovationis prae se ferre videtur.

11. *Placet* ad hunc modum, omisso nomine „*Romana*", quod nomen non existit ab initio (Antiochena fuit) ; quod non notum antiquis Conciliis ; quod ansam praebet haereticis, quin sit necessarium aut hoc loco utile ; quod est tantum accessorinm et quasi accidentale ; quod substituitur pro *notis Ecclesiae* in Symbolis contentis (una, Apostolica) ; quod nomen Romana designat Ecclesiam localem, Matrem Magistram. De usu alibi, quoties libuerit.

Proinde excludatur „*Romana*" vel addatur „Una, Apostolica" cum aliis „Sancta, Catholica" scilicet „Una, Sancta, Catholica, Apostolica atque Romana."

12. Suffragium meum Schemati de fide reformato libenter do sub conditione quod in primo capite de medio tollatur *Romana* et simpliciter dicatur „Sancta Catholica Ecclesia".

Nostri protestantes dicunt nobis, quod nostra Ecclesia non est eccle-

sia quae nominatur in symbolo Apostolorum „*Sanctam ecclesiam catholicam*" sed nostra ecclesia est „Romana Catholica". Ideoque affectant vocare nos „Romanos Catholicos" quasi ipsi essent veri Catholici; semper hoc nomen repuli „Romani Catholici", sed affirmavi et probare conatus sum nostrum nomen esse „Ecclesiam Catholicam"; sed omnis Catholicus debet esse Romanus, quia Papam constituit Christus Caput Ecclesiae Catholicae. In mea dioecesi praedium aliquod datum fuerat per testamentum *Ecclesiae Catholicae*. Evidens erat quod *Nobis* datum fuerat; sed Episcopaliani a tribunali illud obtinuerunt, sub praetextu quod nostrum nomen non erat, *Catholica*, sed *Romana Catholica* Ecclesia. Itaque emendationem omnino postulo: isque videtur esse sensus magnae partis Concilii, ut mihi saltem videbatur, quando tam multi surrexerunt pro *virgula*. Alia forma adhiberi potest quae omnibus placebit.

13. Minus placet vox *Romana* in linea 1. Cap. I. Quia

1. Non est necessaria ab initio, cum de Ecclesia postea expresse tractabitur; ubi poterit inseri.

2. Quia vox apud omnes qui lingua Anglica utuntur ansam forsan praeberet errorem illorum propagandi, qui *triplicem* distinguunt Ecclesiam, Catholicam *Romanam* unam, alteram *Graecam*, tertiam demum *Anglicanam*.

3. In Professione Fidei Pii IV, eadem loquendi ratio designat *particularem* Romanam Ecclesiam, „Matrem et Magistram omnium Ecclesiarum", ideoque ambigua videtur.

4. Demum, quia non est vox usitata nec in Symbolis, nec in Conciliis generalibus, per quantum sciam. Si non placeat omittere, tunc poni posset descriptio plenior Ecclesiae ita *Unam Sanctam Catholicam Apostolicam Romanam Ecclesiam*.

14. Mutanda linea prima Capitis I. eo modo: *Sancta Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana*.

15. Non placet illud sub initio Cap. I. *Sancta Romana Catholica Ecclesia*, et quidem propter rationes in Cong. general. allatas, quas heic referre necesse non esse putavi.

Quod si Rmis Patribus non placuerit hac in re consilium mutare, optarem, ut saltem littera C maiuscula vox illa *Catholica* scribatur: res quidem minima, nec praetermittenda.

16. Placet sub conditione, etenim libenter suffragium fero quoad *Schema de Fide* et illud approbo, si deleatur vox *Romana* in Capite I. linea 1., quia ibi sermo est de Ecclesia in genere, in posterum vero in alio *Schemate* erit sermo de Ecclesia in specie, et de indiciis, quibus secernitur a congregationibus sectariis quae perperam nomen Ecclesiae assumunt.

17. Non placet nomen *Romana* Capitis primi, quia ansam praebet haereticis praecipue Anglicanis dicendi quod Ecclesia Catholica Apostolica Romana admittit vocem *Catholica* tanquam genus quoddam, cuiusque quasi species sint haeretica Anglicana et schismatica Graeca. Cum Ecclesiam Perthensem in Australia Occidentali regerem, magnam sustinui contentionem cum civili gubernio illius Coloniae, quod nolebat recipere meas litteras nisi fuissent signatae Bishop Roman-Catholic, quasi admittens, illos, videlicet Anglicanos, esse quoque Catholicos. Ego dixi illis: Sum quidem Episcopus Catholicus et Romanus quoque toto corde et glorior me esse Romanum hoc modo, sed nunquam admitto esse Catholicos aliquos qui non sint Romani, proinde inutile iudico exprimere quod sim Romanus, quia assero me esse Catholicum.

18. Placet propositum de fide Decretum.
Dummodo ad initium primi capitis non dicatur:
„Sancta Romana Catholica Ecclesia credit etc."
sed „Sancta catholica Ecclesia, (vel Sancta catholica et apostolica Ecclesia credit) etc."
Haec enim vox Romana est restrictiva ad Ecclesiam specialem quae Romae existit; ut videre est:
1. Ex contextu formae Iuramenti Professionis fidei a Pio Papa IV. editae,
2. Ex eo quod ipse Sanctissimus Dominus Noster, cum solemni modo Litteras ad universalem Ecclesiam directas obsignat, non dicit:
„Pius Ecclesiae Romanae Episcopus",
sed „Pius Ecclesiae catholicae Episcopus."
3. Ex eo quod nunquam in Conciliis ad definitionem fidei adhibetur vox Ecclesia Romana catholica, sed Ecclesia catholica etc. simpliciter.
19. Non placet titulus *Sancta Romana Ecclesia* in Cap. I. Hac enim forma abutuntur haeretici et proinde magis placeret „Sancta Catholica Apostolica et Romana Ecclesia" vel prout habetur in professione fidei.
20. Placet sub conditione, ut in linea prima vox *Romana* tollatur. Adhaereo enim rationibus ab aliis Episcopis iam allatis.
21. *Placet*, dummodo vox *Romana* in linea prima Cap. 1. amoveatur.
Rationes sunt praecipue eae quae ab Episcopo Birminghamensi adducuntur.
22. *Sancta Catholica et Apostolica Ecclesia credit* etc. ut in Symbolo Apostolorum simul et Nicaeno — omissa voce *Romana* — propter haereticos qui inde ansam sumunt vocandi sectas suas Catholicam Anglicam vel Catholico-anglicam, Catholico-graecam etc. etc.
23. Initio Cap. I. dicatur Sancta Catholica Ecclesia docet, vel S. Catholica Apostolica Romana Ecclesia docet. Vox „Romanam" vellem ut introduceretur quando agitur de Ecclesia, sed non hoc loco.
1. Quia formula ita posita nova est.
2. Non adhibetur ab aliis Conciliis.
3. Hoc modo posita magnam ansam praebet Protestantibus in Anglia et America.
4. Promissum fuit patribus quod formula „Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia" proponeretur, sed errore aliquo factum est quod non fuit proposita.
24. Placet, sub ea conditione quod verbum „Romana" lin. 1. Cap. I. omittatur.
25. Placet quoad materiam, sed non placet quoad vocem „Romana" quae posita est in capite I. lin. 1. et quoad „anathema".
26. Placet iuxta modum; nempe quod verbis Professionis Fidei Pii IV. utatur in initio Capitis I.
27. Placet omisso verbo „Romana".
28. Placet sub conditione, quod verbum „Romana" in initio Capitis I. omittatur, vel si servetur, dicatur: Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia vel Apostolica et Romana Ecclesia.
29. Non placet quoad vocem „Romana" ante vocem „Catholica". De ceteris placet.
30. Placet, mutatione facta sub initio *Capitis I. in hunc modum* scilicet *Sancta Ecclesia Catholica Apostolica Romana.*
31. Placet iuxta modum: „Ecclesia Catholica Apostolica Romana."

32. Placet, si deleatur verbum „Romana" in linea prima Capitis I.

33. Placet excepta voce *Romana*, quae debet omitti in pagina octava, linea prima, Capitis primi.

Vel si ponatur, addantur caetere notae Ecclesiae v. g. *Una*, *Sancta*, *Catholica*, *Apostolica atque Romana*.

34. Capitis primo vox *Romana* exmittenda censetur, secus caetera *placent*.

35. Placet de *re*, non vero de nomine (Romana) 1. quod non exstitit ab initio ; 2. quod non norunt Concilia antiqua ; 3. quod accessorium quid et quasi accidentale pro agnitis in Symbolis notis (Una, Apostolica) substituit ; 4. quod ansam praebet haereticis, et propterea offendit pluribus, quin sit necessarium sive aptum ; 5. cuius non *hic* locus, sed alibi quoties libuerit, praesertim vero post traditam de primatu doctrinam.

36. Non placet quoad vocem *Romana* ante vocem *Catholica*.

37. *Placet* : sub conditione quod vox *Romana*, in prima linea Capitis primi, omittatur.

Vel, quod initium Capitis primi sit : „*Sancta Ecclesia Catholica, Apostolica Romana* credit etc."

38. Placet iuxta modum Caput I., nempe ut legatur „Catholica Ecclesia Apostolica et Romana".

39. Loco verborum : „Sancta Romana Catholica Ecclesia" dicatur : Sancta Catholica atque Apostolica Romana Ecclesia.

40. *Non placet* quoad *Romana* ante *Catholica* Cap. I. De fide, quia non consonans est Symbolis.

41. Ut verbum *Romana* Capite I. omittatur et substituatur vox Apostolica, ita ut legatur :

Sancta Catholica Apostolica Ecclesia — ut evitentur falsae interpretationes haereticorum.

42. Non placet verbum „Romana" linea 1. Cap. I. Volo quod omittatur.

43. Non placet ob vocem *Romana* positam ante *Catholica*.

44. Placet, si deleatur verbum „Romana" in linea prima Capitis I.

45. Pro *omnique perfectione infinitum*, melius dicendum videtur „*et in omni perfectione infinitum*", ne Deus ab aliquibus dici possit infinitus tantummodo ob perfectionum cumulum.

46. § 1. Cap. 1. expungantur verba *re et* in linea ultima; et scribatur *praedicandus est essentia distinctus a mundo*.

47. Non placent voces in Cap. I. „ad manifestandam suam perfectionem". Quis enim cognoscit sensum Domini ? et praeterea S. Thomas expresse docet *propter bonitatem* suam Deum omnia creasse.

48. II. Mihi placeret si in § 2. Cap. I. illis verbis : „ad manifestandam perfectionem suam" adderetur verbum S. Thomae (I. p. q. 19. a. 2. q. 44. a. 4) „ad communicandam", quia verba : „ad manifestandam et communicandam… "mentem Patrum perfecte exprimunt.

48 1/2. Placet, intelligendo voculam *simul* (pag. 8. lin. 11.) non de simultaneitate temporis, quod valde dubium est, sed de cumulatione divinae operationis, eo sensu, quod idem Deus sit, qui utramque condiderit creaturam.

49. Pag. 8. De Deo § ult. lin. 2. vocabulum *tuetur* omittendum videtur, vel immutandum cum alio *regit*.

50. Pariter placeret, si loco : „liberrimo consilio," poneretur : „libero voluntatis suae consilio", ne insinuetur, Deum penitus indifferentem se habere.

CAP. II.

51. Non placet initium Capitis II. et ideo canon ipsi respondens. Aliud est enim dicere: rationem posse cognoscere ex creaturis existentiam, attributa Dei, ut docuit Apostolus illis verbis „invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur", et in multis locis suae Summae demonstrare videtur Angelicus; et aliud est dicere: rationem certo cognoscere posse Deum, rerum omnium principium et finem.

Haec propositio est in suo conceptu satis complexa, et enunciationem eius non rectam, non veram esse opinor. Nullus etenim Philosophorum, neque Aristoteles, neque Plato, neque Tullius, qui fere omnem rationis potentiam praemonstrarunt, adeo ut eorum vestigia hodierni Philosophi sequantur, potuerunt cum certitudine cognoscere Deum principium et finem omnium rerum. Si nullus igitur Philosophorum hoc cognoscere potuit absque commixtione multorum errorum, ut ex eorum Theologia speculativa evidenter patet, unicuique fulget veritas non moralis, sed necessaria de impotentia humanae rationis perveniendi cum certitudine ad cognoscendum Deum, principium et finem omnium rerum; verissimum enim est, et apud omnes acceptum Tullii effatum: „*id, in quo omnis natura consentit, necesse est verum esse*". Revera, ipso promulgato Christianismo, Pagani minime cognoscunt cum certitudine Deum, principium et finem omnium rerum, et fortasse ipsi Catholici philosophia ac christiana doctrina nondum bene exculti.

Quapropter ego arbitror expungendum esse adverbium *certo*; res enim, quae cognoscuntur, certo cognoscuntur: adverbium ideo, quod superfluum est nobis, sed Rationalistis perutile. Et sic dum removetur apparens contradictio inter primam et secundam paragraphum, semper damnamus Traditionalismum, et non videmur absolvere Rationalismum, errorem illo peiorem.

52. Non placet vox *naturali* Cap. II. l. 3. Homo enim nunquam in statu mere naturali fuit, nec proinde esset rationis lumen.

52 1/2. Placet supprimendo voculam *certo* (pag. 9. lin. 5.), quia quod sic dicitur, licet philosophice verum esse credam, non tamen mihi videtur ita clare certeque revelatum, ut dogmatice possit definiri.

53. Placet expungendo verbum *certo* ex paragr. prima Capitis II.

54. In pag. 9. § 1. secundi Capitis expungantur verba *et bonitati*, et ponatur solummodo *placuisse eius sapientiae alia, eaque etc.*

55. Verbum „quaedam" inseratur ante verbum „aeterna" in prima paragrapho Cap. II.

55 1/2. Pag. 9. § 2. C. II. l. 4. ante ultimam verba hoc modo concinnentur: *Haec autem revelatio necessaria dicenda est praecipue, quod Deus ex infinita sua bonitate* etc.

Et sic expungatur verbum *absolute*.

56. Pag. 9. versus finem verba: *Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est*, expungenda videntur; quia cum sequenti contextu clare implicant, quod homini, in ordine mere naturali constituto, revelatio absolute necessaria non foret: idque importat, hominem in tali statu, sub quovis respectu, et ad quoslibet vitae actus, usus, fines, vel phases diversas nulla prorsus egere revelatione divina necessitate absoluta. Hoc autem in dogmatica Constitutione adfirmari nequit, quia nullibi, saltem certo, in Scripturis vel Traditione, legi datur; nec, quoad sciam, unquam ab Ecclesia traditum est. Quin imo, in S. Sedis Apos-

tolicae nuperis actis contra eos, qui humanae rationis vires plus aequo deprimebant, illius doctrinae, quae de rei prorsus esset instituto, frustra quisque vel tramitem reperire laboraret. Quod satis adparet ex thesibus ad subscribendum datis Bautain (8 Septembris 1840), Bonnetty (11 Iunii 1855), nec non ex observationibus S. Indicis Congregationis (23 Iunii 1843, et 8 Augusti 1844); ac demum ex Epistolis ab Emo ac Rmo Cardinali Patrizi ad Cardinalem Archiepiscopum Mechliniensem missis 11 Octobris 1864, 2 Martii, et 30 Augusti 1866. Tandem in Adnotationibus ad Schema reformatum (pag. 30 in princ.) declaratur, quod non attingitur quaestio utrum aliqua institutio necessaria sit ad hoc, ut homo ad rationis usum perveniat: at praedictis verbis expungendis attingeretur utique, praesertim in primo homine, qui nonnisi a Deo posset institui.

Itaque praedictis verbis sequentia substituerem „*At vero Divina revelatio absolute necessaria prorsus dicenda est eo*", quia Deus etc.

56 1/2. Addatur verbum *postremo* post verba a *S. Tridentina Synodo* in paragr. 3. Capitis II.

57. In Cap. II. § 3 non placent verba: „Spiritu sancto inspirante conscripti", quae verba alludunt ad epistolam S. Petri, qui loquitur tantum de prophetiis. Placeret, ut ponerentur verba magis canonica: „divinitus inspirati", quae S. Paulus habet de omni scriptura sacra, ut res, non modus rei, id tantum, quod est necessarium, et cum minima Theologorum catholicorum offensione definiatur.

58. *Ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.* In hisce verbis non innuitur nec intelligitur, *a quo* Ecclesiae traditi sint. Hinc cum sublata fuerint verba *per Apostolos*, satius videtur verba illa *ut tales* etc. in haec alia mutare „*uti tales ipsa Ecclesia ab eodem Spiritu Sancto edocta semper agnovit*".

59. Pag. 11. vers 4. verba, *atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt*, vertenda videntur in sequentia, *atque ut tales ab ipsa Ecclesia accepti, in Canonem sunt relati, ac fidelibus propositi.* Idque ex eo, quod ratio *Sacri* consistit in Divina inspiratione, quam Ecclesia agnoscit ex Traditione; ratio autem *Canonici* derivatur ex eo quod Ecclesia, librorum divinitate recognita, illos in Canonem recenset, et uti sacros recipiendos esse declarat.

Non ergo satis distincte paulo ante absolute asserta esset complexa illa phrasis „*Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet*": transeat tamen; sed notabilis illa diversitas respectuum, ad vitandam confusionem, aliquo saltem pacto indicabitur formula superius allata, nempe *atque ut tales ab Ecclesia accepti, in Canonem sunt relati, ac fidelibus propositi.*

Ad rem: Concilium Tridentinum libros illos ut *SACROS* se *suscipere ac venerari* dicit, et posteaquam illorum indicem recensuit, anathemate percellit eos, *qui pro sacris et CANONICIS eosdem non susceperint.*.

60. Pag. 11. vers. 13. verba „*in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium*", omnino auferenda sunt.

1. quia Ecclesia, sine ulla exceptione, est infallibilis interpres totius divinae revelationis, quae in Scripturis ac Traditione continetur. Declarando autem *in rebus fidei et morum* tenendum esse sensum, quem tenuit ac tenet Ecclesia, divina illa interpretandi praerogativa ad huismodi materias tantum coarctari videtur, quasi in caeteris minime valeat.

Nec obstat, quod verba illa non sint exclusiva; etsi enim specificativa tantum essent, aliarum rerum exclusionem nisi aperte indicarent, in dubium saltem revocant.

Quod si urgeatur, omnia, quae in Scripturis continentur, ad fidem vel mores referri, iam et hoc ipsum omnem specificationem *rerum fidei et morum* superfluam ac vanam omnino esse confirmabit.

2. Quia si in *rebus fidei et morum* tantum Scriptura accipi deberet iuxta eum sensum, quem tenuit ac tenet Ecclesia, in reliquis, puta historicis aliisque, libera cuique daretur ansa sanctissimum Dei verbum pro effraeni lubitu explicandi ; hac praesertim tempestate, in qua mythici, rationalistae, sexcentique errones totam ferme Scripturam ad fabulas amandant.

Fortasse quis instabit, Ecclesiae infallibilitatem ad res fidei et morum restringi ; in his ergo tantum eiusdem interpretationem sequi debere, in caeteris vero liberos esse. At contra : revelatio omnis obiectum fidei est, quippe quae continet verbum Dei, cui assentiri debemus ; ac proinde tota, quanta est, Ecclesiae subest iudicio : eo vel magis, quod ait Apostolus : *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia etc.*

3. Quia verba illa aequivoce mutuata fuere a Tridentino. Hoc enim Concilium non adhibuit ea, quando locutum est de potestate Ecclesiae in interpretatione Scripturae, quasi cancellos poneret, intra quos valebat illam infallibiliter exercere, sed quando indigitavit materiam, in qua petulantia ingenia, detorquentia verbum Dei ad pravos sensus, gravissime illud offendebant.

CAP. III.

61. Cap. III. § 1. lin. 3. vocabulum *increatae* expungatur et ponatur *aeternae.* (Omnis enim veritas *increata* est, et nulla est *creata*).

62. Pag. 4. lin. 26. Vox, *assentiendo*, Arausicano Concilio tributa, in *consentiendo* mutari debet, uti habetur in collectione Conciliorum Labbe-Coleti, tom. 5. col. 810.

63. In Cap. III. non placet locus, quem § 3 : „Porro fide"... occupat, quia secundum logicum rerum ordinem iste locus deberet poni in § sequenti, ubi de Ecclesiae institutione sermo est.

64. Assertio Cap. III. „Fide divina et *Catholica* ea omnia credenda sunt, quae *ordinario et universali magisterio* tanquam divinitus revelata credenda *proponuntur*", theologicis documentis haud consona existimatur.

64 1/2. Cap. III. pag. 5. lin. 15. *nec ullus*; forsan melius „*et nemo*" aut nec quisquam.

65. Cap. III. pag. 5. *Ab omnibus posset agnosci*, leg. ab omnibus, quibus proponitur *seu praedicatur*, posset agnosci. Ac eadem pagina loco *evidentem* leg. *certam.*

CAP. IV.

66. Pag. 5. lin. 18. pro „sic" ponatur „adeo".

67. Pag. 4. Ad finem ratio data, quare sit species contradictionis inter mysteria et rationem, non placet.

68. Pag. 5. lin. 3. ponatur, „ad mentem Ecclesiae non *intelligantur* et *exponantur*, vel opinionum etc.".

69. Pag. 5. lin. 12. ponatur „fidei depositum *illibatum* custodiendi".

69 1/2. Cap. IV. pag. 5. lin. 29. *Numquam* videtur error typographicus pro *unquam* : linea enim superiore habetur alia particula negativa *neque* huic postremae coniuncta.

70. In Cap. IV. nova propositio addita est (in novo schem. p. 6. l. 7). „Non enim... perducere". In hac thesi mihi illa verba „iuvante eius

gratia" non recte posita videntur: ut scientiae ad Deum perducant, non opus est gratia adiuvante.

71. Pag. 6. lin. 22. pro „*in se suscipiant*" ponatur „*amplectantur*".

72. Constitutionis *Dogmaticae* de *Fide Catholica prima quatuor* capita voto meo probo, opto attamen, ut in quarto capite quaedam styli emendationes fiant, et barbarismi eliminentur, tales sunt: pag. 6., „repugnando errores *in se suscipiant*" — item eadem pag. 6. „quem *semel* declaravit etc.".

73. Pag. 6. lin. 5. ab infra loco „*semel*" ponatur „*iam*".

CANONES.

74. Omittantur omnes Canones etc.

75. Non placent Canones, ea praecipue ratione, quod sub anathematibus condantur. Cordati Catholici huiusmodi comminationibus non *egent: pravi et infideles eas nihili faciunt. Fuit tempus, quo talia* reformidarent homines; nunc ludibrio sunt, seu potius irritamento impietatis. Meo igitur iudicio parcere praestat anathematibus, ne longius ab Ecclesiae unitate arceamus, quos omni studio allicere tenemur ad Fidem.

76. De cetero non levi animus dolore movetur, quod in singulis capitibus profuse sint cumulata anathemata, quippe quae magis, acriter pungendo, alienent, quam suaviter alliciendo trahant.

77. Non placet, tam multos apponere Canones cum anathematibus.

Ratio 1. *non* quasi Ecclesia deberet renuntiare huic antiquae formulae damnandi haereses: nec quasi timorem deberet exhibere malignorum hominum. Ponat quidem veritatem in luce clara; et quidem exhibeat magisterium suum magisterialibus et iudicialibus eloquiis. Sed persuasus sum, quod in America ingens est numerus eorum, qui falsas doctrinas sequuntur non ex malignitate, sed ex ignorantia, sive culpabili sive inculpabili, qui bene dispositi sunt ad audiendam veritatem, si amanter proponatur verbis quidem fortibus et urgentibus, non vero laedentibus praeter necessarium.

Ratio 2. Quia videtur contra usum aliorum Conciliorum applicare anathemata erroribus, *qui plane sunt non* tam haereses Christianorum, quam deliramenta *ethnicorum*.

Ratio 3. Quia maxima pars acatholicorum, qui Christianos se dicunt, reapse ethnici sunt, quoniam non sunt baptizati; cum in dies minuatur numerus eorum, qui de baptismo filiorum curam habent: praesertim in populis nostris, qui in erroribus detenti sunt indifferentia et ignorantia veritatis.

Ratio 4. Quia ex iis, qui hos errores e professo docent, praesertim doctoribus in universitatibus Europaeis, pauci omnino reverentiam habent Ecclesiae vel timorem anathematum eius. Et quamvis non ideo omnia anathemata omittenda, attamen pauciora esse expedit, ne viliora habeantur.

Ratio 5. Ex his diversis anathematibus orietur confusio vel ambiguitas circa vim eorum: utrum ad subiectos Ecclesiae tantummodo, an ad eos, qui extra sunt, et non baptizatos applicentur. Etenim in ipsa Congregatione nonnulli patres dicunt, ea non ferire nisi subditos Ecclesiae baptizatos: alii dicunt ea imprimere notam infamiae omnibus, qui has doctrinas profitentur.

78. Valde placerent anathemata *pauciora, intacta remanente doctrina*.

79. Placet quoad doctrinam, non quoad canones ob cumulata anathemata.

80. Ad pauciorem numerum reducantur anathemata.

81. Desiderium exprimitur, ut ita damnentur errores, ut numerus anathematum imminuatur.

82. Placet anathematibus ad pauciorem numerum redactis.

CANONES Cap. I.

83. Contra ipsam, his in Capitibus Constitutionis dogmaticae propositam, doctrinam, nihil, quod obmoveam, habeo, immo illi toto mentis assensu adstipulor.

Sed non mihi placent Canones contra atheos, materialistas, pantheistas ac naturalistas directi; qui enim Deum ipsum, vel certe omnem revelationem negant, Christiani non sunt, adeoque nec haeretici. Iam vero, teste historia, Ecclesia anathematis sententiam non nisi in haereticos pronuntiavit. Errores atheorum, materialistarum, et pantheistarum insaniae potius dicendae sunt, quam doctrinae haereticae; damnentur proinde et declarentur ceu insaniae, et foetus sive deliramenta febricitantis cerebri, sed non feriantur anathematis mucrone. E damnatione praedictorum errorum sub poena anathematis nihil redundat emolumenti, non in homines praedictis erroribus infectos, qui Concilii auctoritate nihil moventur, immo illam ludibrio habent, non in ipsos fideles, quorum nemo non scit, quod quamdiu quis Christianus esse velit, huiusmodi sibi vitanda sint monstra errorum. Cum athei, materialistae. pantheistae, naturalistae in ratione sua, in sapientia seu potius insipientia sua confidant, et dum stultos suos errores fovent ac docent, supra vulgus sapere se glorientur ac iactent, magis profecto e re foret, ipsorum deliramenta eo modo detestari ac damnare, quo Almarici errores damnati fuerunt in Concilio Lateranensi IV., in cuius decreto, quod incipit „Damnamus" sic legitur: „Reprobamus etiam et condemnamus perversissimum dogma impii Almarici, cuius mentem sic pater mendacii excaecavit, ut eius doctrina non tam haeretica, quam insana sit censenda".

84. Mutetur forma condemnationis errorum ad praeambula fidei spectantium.

85. Placet iuxta modum: *exceptis anathematibus de rebus ad praeambula fidei pertinentibus.*

86. Mutetur forma canonum, quibus proscribuntur errores ad praeambula fidei spectantes.

87. Displicet quoad duos primos Canones, qui in primo Capite appositi sunt. Excludantur, tum quia *implicite* continentur in quinto Canone; tum quia Athei et Materialistae damnandi sunt per exsecrationem.

88. Non placent Canones 1, 2, 3.

89. 1, 2, 3 et 4 Canones „*de Deo rerum omnium Creatore*", utpote qui inutiles, eliminandi, damnando errores, et non personas.

90. Ante verbum *Creatorem* adiiciendum videtur verbum *esse*, ut clarius *intelligatur, obiectum canonis esse non existentiam Dei, sed rerum* creationem a Deo factam.

91. Can. I. adiiciendum vocabulum *esse* post: „Si quis unum etc".

92. Can. II. scribendus simpliciter sine transpositione: Si quis non erubuerit affirmare, nihil esse praeter materiam etc.

93. Pag. 12. Canone 3. expungantur verba *vel essentiam.*

94. Tertia pars Canonis 5. primi capitis mihi videtur deficere. Potest enim quis et *beatitudinem* consociare cum *gloria.* Unde hanc formam proponere audeo: ...Aut asseruerit mundum qui ad gloriam Dei con-

ditus est, etiam ad augendam Dei beatitudinem esse creatum; a. s.

95. Non placet quinti Canonis tertia pars Capitis primi.

CANONES Cap. II.

96. Non placent Canones 1, 2 et 3.

97. Non placet Canon primus Capitis secundi.

98. Placet supprimendo *Canonem I.* Capitis 2., quia plane sufficit doctrina in ipso Capite ea de re declarata, quin ad rigorem anathematis deveniatur.

Etiamsi non supprimeretur *canon*, omnino supprimatur in canone vocula *certo*;

Et quatenus non supprimeretur vocula *certo*, supprimantur omnia, quae sequuntur vocem *Deum*, usque ad *facta sunt*; ne videamur dogmatice et sub anathemate definire: rationem naturalem sufficere posse ad cognoscendum cum *absoluta certitudine* (id est vel evidenter, vel per certam demonstrationem, cum aliter haberi nequeat certitudo rationalis): 1. *Unitatem* Dei; 2. *veram* Dei naturam; 3. mysterium creationis proprie dictae, seu ex nihilo; — eaque omnia sic certo posse cognosci per solum etiam argumentum ex spectaculo huius mundi deductum.

98 1/2. Delenda videntur verba *Creatorem et Dominum nostrum*: qui etsi nominetur in Scripturis, praecise quando consideratur in relatione ad creaturas, ideoque verba illa, uti casus adpositionis, possent retineri, attamen apposita in Canone inducunt illam quaestionem, quae in Adnotatione vitanda dicitur, utrum scilicet rerum creatio sola ratione certo cognosci possit. At in Canonibus, in quibus per damnationem erroris contrarium dogma Catholicum definitur; nullus dandus est locus ambagibus, ne errantibus relinquatur effugium, ac, dogmate ipso in ambiguitate versante, suprema sinceris Fidelibus ingeneretur anxietas, an scilicet in hoc, vel illo sensu illud retinendo, idipsumne sentiant ac sancta mater Ecclesia, an ab illius doctrina longe aberrent.

99. Pag. 13. Canone 2. loco verborum *non expedire* ponantur verba *non esse necessarium.*

99 1/2. In 3. canone vel addendum *et perfectionem* post *cognitionem*, vel delendum *et boni*; secus enim non habetur adaequata antithesis.

100. Ut plena ac perfecta antithesis inter primum et alterum comma praedicti Canonis instituatur, vel expungendum esset verbum *boni* a posteriori, vel potius, ne mutiletur error, primum ita esset concipiendum: „*Si quis dixerit hominem ad statum supernaturalem, ac proinde ad cognitionem et possessionem rerum, quae naturalem ordinem superant* etc." Quae mutatio magis convenire videtur doctrinae expositae in eodem Capite.

CANONES Cap. III.

101. Canon I. de Fide „Si quis dixerit, rationem etc." placet substituendo verbo „rationem" illud „*mentem*"; magis enim praecise includeret concursum voluntatis imperantis rationi liberae actus fidei supernaturalis. Loco autem verbi „*imperari*" lin. 3. (quod indicat gravamen oneris alicuius, dum revelatio est permagnum beneficium ducens ad bonorum maximum) placeret, si substituatur dictis „menti humanae non potuisse adnecti cum rationis lumine lumen supernaturale revelationis; et huic obsequium praestare": vel quid simile.

101 1/2. Non placet in Cap. III. Canon 2.

102. Canone 3. de Fide tollantur verba, aut *inspiratione*, nam vocabu-

lum *inspirationis* communiter sumitur pro inspiratione a Spiritu Dei, et ponantur haec verba, aut *sensu privato*.

Can. 3.

103. Verbis „*ideoque sola interna cuiusque experientia*" addantur, *vel sensu religioso, vel etiam* etc.: idque ad confodiendos errores *sentimentalistarum* (sic) aliorumque.

Can. 4.

104. Ut Canon hic respondeat doctrinae in secunda paragrapho declaratae, expedit, ut ita redigatur „*S. q. d. miracula vel prophetias nullatenus fieri posse, proindeque omnes eiusmodi enarrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse, aut certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam Christianae Religionis originem rite probari*; *a. s.*"

Can. 5.

105. Ut clarior evadat damnatio errorum, forsan aptius diceretur: „S. q. d. assensum fidei Christianae non esse liberum, sed necessario „produci argumentis humanae rationis, aut non egere gratia Dei, sed „solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam requirere; a. s." vel alias:

„S. q. d. assensum fidei Christianae non esse liberum, sed argumen- „tis humanae rationis necessario produci, aut ad solam fidem vivam, „quae per charitatem operatur, non vero ad illum ipsum fidei Christia- „nae assensum gratiam Dei necessariam esse; a. s."

106. Non placet Cap. III. Canone 5. phrasis „sed argumentis", vellem legere „sed semper argumentis... necessario". Etenim aliquando argumenta talia esse possunt, quae necessariam convictionem producant.

Non placet in eodem Canone phrasis *ad solam fidem vivam*, utpote ambigua, vellem legere „aut gratiam Dei necessariam esse *solummodo* ad fidem vivam etc." Etenim vere dici potest „Gratia Dei *est necessaria* ad fidem vivam solam" i. e. fidem sine adiuncta alia virtute.

107. Canon V. sic formetur. *S. q. d. assensum fidei christianae non esse liberum, sed IMPELLENTIBUS humanae rationis argumentis produci*; *anathema sit*.

Cicero ait "*Nec me solum ratio impulit, ut ita crederem etc. NATURA IMPELLIMUR, UT PRODESSE VELIMUS*".

Vel si hoc non arridet, Canonem sic propono:

Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed ab humanae rationis argumentis extorqueri atque produci (idest, rapi, elici, auferri etc.); anathema sit.

108. Mihi videtur consultius in Canone quinto Cap. III. addere post verba „necessario produci" illa alia verba *sine supernaturali Dei auxilio* saltem ad maiorem claritatem, ne videamur dicere argumenta fidei nostrae non esse concludentia, sed manca: nam bonum argumentum assensum rationis *necessario* rapit, idque asserimus in Can. I. Cap. II., quando dicimus, Deum a ratione humana *certo* cognosci posse.

109. Suffragia nunquam lata sunt de parte Canonis 5. tertii Capitis. Hocque eo magis notandum, quod quidam illam obscuram existimant.

Liceat proponere formam, quae, si non apta, meliorem forsan suggeret. Nempe: S. q. d. . . aut ad fidem etiam initialem et per charitatem adhuc non operantem, gratiam Dei non esse necessariam; a. sit.

110. Pag. 7. Canone 2. loco „*etsi*„ ponatur „*quamvis*".

111. Tandem minime assentior, in calce Canonum Capitis IV. annexa fuisse duo monita, quorum prius minus convenientem locum tenere censetur, posterius vero nec argumenti habita ratione probandum mihi esse videtur.

112. Placet, dummodo schematis *de fide catholica* conclusio, quae incipit ab his verbis: *Itaque supremi pastoralis*, vel omittatur, vel ad finem Capitum schematis eiusdem, iuxta decisionem in praecedenti congregatione generali a S. Concilii Patribus admissam, remittatur.

113. Placet, dummodo schematis de Fide Catholica conclusio, quae incipit ab his verbis „*Itaque Supremi Pastoralis*“, vel omittatur omnino, vel ad finem ultimi Capitis omnium Capitum schematis eiusdem (quae quidem nobis promissa fuere) remittatur, uti annuntiatum fuit Patribus a R. P. Relatore Deputationis, et cum assensu omnium PP. in praecedenti congregatione generali admissum fuit.

114. Conclusio non probatur. Reliqua placent, *salvis conciliorum oecumenicorum iuribus.*

115. Placet iuxta modum, ut Conclusio Capiti IV. adnexa ex integro omittatur.

116. Monitum tandem in Capite IV. post priores tres canones his verbis inchoatum: „Itaque Supremi etc. Quoniam vero satis non est etc.“ omittendum censetur.

117. Omittantur paragraphi post canones quarti capitis appositi, aut in aliam formam mutentur.

118. Non placent ultimae paragraphi.

119. Placet, modo penitus eliminetur iam eliminata Conclusio schematis, quae incipit: „*Itaque Supremi Pastoralis*“.

Salvis semper iuribus et regulis Conciliorum oecumenicorum.

120. *Placet*, excepta ultima paragrapho: *Itaque Supremi* . . . usque ad finem, quem iudicatur reiiciendum esse.

120 1/2. Placet, supprimendo admonitiones duas postpositas canonibus Capitis IV., quae in forma et verbis, quibus exaratae sunt, non placent.

Votum exprimendo, ut in toto huius Concilii opere vitentur, quantum fieri poterit, anathemata, et formae styli quam mitiores semper adhibeantur. Atque salvis et servatis in toto huius Concilii opere iuribus Episcoporum et regulis in sacris oecumenicis Conciliis servari consuetis.

121. Non apponatur hisce quatuor capitibus conclusio, quae incipit, *Itaque Supremi Pastoralis*, usque ad finem.

Vel si omnes concedant, eam adiungi, verba, a *S. Sede*, mutentur in haec alia, a *Summo Pontifice*.

122. Quoad Constitutionis Conclusionem a vocibus „*Quoniam vero satis non est*“ usque ad finem, eam expungendam censeo, quia 1. fuit exclusa voto Congregationis generalis; 2. quia doctrina, quae in illa conclusione continetur, est nimis indeterminata et generalis.

Insuper dum Constitutioni generatim spectatae assentior, non ea est mens mea, ut modum in deliberatione adhibitum adprobem, cum ibi plura reperiantur, quae libertati Patrum aut serio rerum examini non satis faveant.

123. Placet iuxta modum, scilicet dummodo ultima conclusio omittatur.

124. Transferatur conclusio.

125. Placet. Sed supprimatur Conclusio Capitis quarti, incipiens ab his verbis: *Itaque Supremi Pastoralis officii etc.*

126. Placet sub conditione illa, ut conclusio Capitis 4. his verbis incipiens: „Itaque Supremi" etc. expungatur.

127. Placet exclusa conclusione, „Itaque Supremi Pastoralis".

128. Placet 1. Dummodo salvae remaneant regulae in aliis generalibus Conciliis servatae.

2. Dummodo eliminetur conclusio Schematis, quae tantis patet incommodis.

129. Placet, dummodo deleatur conclusio incipiens his verbis: „Itaque Supremi etc."

130. Placet. Excepta Conclusione.

131. Placet, dummodo supprimatur aut ad alium locum cum nova redactione transferatur conclusio, quae incipit ab his verbis: *Itaque Supremi Pastoralis*... quia secunda illius conclusionis paragraphus ob obscuritatem et indeterminationem sensus multis incommodis, difficultatibus et etiam periculis viam aperit.

132. Placet, salvis tamen regulis Conciliorum generalium prius habitorum, nec non iuribus omnibus Episcoporum:

Excepta praeterea Capituli 4. seu Constitutionis Conclusione, quae ambigua videtur etc. iustis limitibus non consistens: excepta tandem forma et copia canonum.

133. Supprimendas censeo duas ultimas paragraphos,... *Itaque Supremi Pastoralis*... *Quoniam vero satis non est*...

Istae paragraphi sunt nimis vagae. In dubias et perplexas anxietates tum fidelium tum Cleri conscientias iniicient. Quomodo poterunt discerni istae opiniones, *quae plus minusve accedunt* ad errorem? Aliunde *quae* et *quot* sunt *Decreta*, de quibus agitur? Nonne quidam concludent, *Decretum de Galileo*, v. gratia, obligare in conscientia? Nam sententia Galilei respiciebat ad interpretationem S. Scripturae, de qua agitur in capite secundo schematis.

Propter istas et alias quasdam rationes, supprimerem omnino istas ultimas paragraphos, saltem prout enuntiantur.

134. Placet, 1. salvis indelebilibus Episcoporum iuribus et sacris Conciliorum oecumenicorum regulis; 2. sublata conclusione Schematis de Fide catholica, quae incipit ab his verbis „Itaque Supremi Pastoralis" etc.

135. Omittatur conclusio Capitis 4. quae incipit his verbis: *Itaque Supremi Pastoralis* etc.

136. Placet: sed reservatio fit circa *conclusionem* 4. Capitis quia datur assensus Constitutionibus et *Decretis* (modo absoluto), quae nequidem indicantur in annotationibus, quod dignitati Concilii oecumenici parum conforme videtur.

137. Placet iuxta modum:

Sublata conclusione schematis de *Fide catholica*, quae incipit ab his verbis: *Itaque Supremi Pastoralis*.

138. Conclusio Capitis IV. omittatur.

139. Non placet quoad additionem hodie introductam.

140. Retineatur emendatio 48. Cap. IV.

141. Placet, excepta praesertim conclusione, quae incipit: Itaque etc.

142. Modus, quo *clausula finalis* Patribus proposita fuit, mihi irregularis videtur; sicut Praesidibus scripto exposui.

143. Placet. Dummodo conclusio, quae incipit ab his verbis; „Itaque Supremi Pastoralis", ponatur in fine Constitutionis dogmaticae *de Fide Catholica* ut sic attingat ad omnia capita.

144. Placet, sed postulo, ut conclusio transferatur.

145. Immutanda videntur verba ; loco, *omnes officii monemus*, dicatur, *districte praecipimus*.

146. Placet, licet propositae quaestiones non fuerint modo satis congruo discussae, nec ea, qua par erat, cognitione adaequata in suffragiis ferendis definitae.

Salvis insuper, ut meae conscientiae stimulis obsequar, iuribus Episcoporum, qui in Conciliis oecumenicis habendi sunt, non ut arbitri *approbatores*, sed ut veri iudices, immo in ultimo, uti aiunt, et supremo iudicio *definitores*.

147. Subscripsi, salvis iuribus, regulis, norma praecedentium Conciliorum oecumenicorum.

Cap. 4. p. 7.

148. Conclusio Constitutionis aliquantulum confusa ac nimis quibusdam gravis videtur. Fideles enim omnes Pastoribus ac docentibus simul iunguntur, illisque aequiparantur in obligatione eliminandi errores et in studio purissimae lucis Fidei pandendae.

Ad maiorem ergo rerum proprietatem ac discretionem ita illam moderarem :

Itaque supremi Pastoralis officii debitum exsequentes, fideles omnes per viscera Iesu Christi obtestamur, ut non solum ipsi ab erroribus heic damnatis recedant, sed et, pro suo quisque modulo, alios quoque omni opera removere studeant : praecipue vero iis, qui praesunt, vel docendi munere funguntur, eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut doctrinae sanae ac purissimae fidei lucem pandendo, praedictos errores sedulo caveant, et a sancta Dei Ecclesia diligenter satagant, quoad fieri potest, eliminare.

DOCUMENT XXIV

Rapport sur les réserves précédentes présenté au nom de la Députation de la Foi, à la 46e congrégation générale, le 19 avril 1870, par Mgr Gasser, évêque de Brixen, et vote sur deux de ces réserves admises par la Députation.

RELATIO

DE EXCEPTIONIBUS IN CONSTITUTIONEM DOGMATICAM DE FIDE CATHOLICA.

a nonnullis Patribus datis

in Congregatione generali die 19. Aprilis 1870.

Relatio R. P. D. Vincentii Gasser Episcopi Brixinensis.

Emi Praesides, Emi ac Rmi Patres.

Folia impressa, quae in manibus vestris sunt, continent istas exceptiones, quas plures rmi Patres in ultima *Congregatione generali suo placet* adiecerunt. Hae exceptiones omnes in Deputatione fidei diligenti examini subiectae fuerunt, mihique, utut reluctanti et enixe deprecanti, officium impositum est ad vos referendi, quid Deputatio de fide de his exceptionibus sentiat. Ergo, Rmi Patres, supportate me.

Exceptiones omnes in quinque classes distribui possunt. Prima classis continet exceptiones inde a num. 1° usque ad num. 5um. Hae exceptiones concernunt nonnisi quaedam generalia, de quibus ergo nihil habeo quod ad vos referam. Non tamen possum omnino silentio premere, quanto dolore Deputatio de fide affecta fuerit per ea, quae in exceptione 5a dicuntur. Arguitur enim Deputatio de fide ingratitudinis cuiusdam erga sacram *Sedem, quia mentio expressa facta non fuit de meritis*, quae summi Pontifices sibi paraverunt, tum in vera fide conservanda, tum in disciplina ecclesiastica tuenda, tum etiam in regno Christi longe lateque dilatando. Deputatio de fide certe non in eo est, ut immortalia Sedis apostolicae merita hac de re neget; si tamen nihilominus nulla mentio desuper facta fuit in prooemio, hoc exinde venit quia talis commemoratio a scopo prooemii multum distare videbatur. Qualis est enim scopus prooemii? In prooemio connectitur Concilium Vaticanum cum Concilio ultimo oecumenico Tridentino, et quidem solummodo ea ex causa, ut ostendatur quomodo factum fuerit, ut fructibus uberrimis, qui ex Concilio Tridentino in rempublicam christianam redundarunt, *non obstantibus, res tamen eo iam devenerit, ut mundus nova caligine* infidelitatis pressus iaceat, ita quidem ut Concilium Vaticanum, si Deo iuvante fieri potuerit, solemni fidei professione fidem emortuam ressuscitare cogatur. Hic erat unicus scopus prooemii, et proinde ab hoc scopo merita Romanorum Pontificum nimium quantum distare videbantur; et proinde etiam expressa commemoratio hac de re facta non fuit.

Pervenimus iam ad secundam classem. Exceptiones secundae classis omnes spectant ad proemium, et quidem num. 6º rmus pater auctor huius exceptionis vult, ut loco phrasis „hinc ille etiam assiduus ardor etc." in regno Christi dilatando, dicatur: *hinc auctus ille assiduus ardor*; ne videamur negare merita, quae viri apostolici omnibus temporibus hac in re sibi paraverunt. At certe phrasi prooemii nostri merita ista non negantur; sed solummodo infertur inde a temporibus Concilii Tridentini ardorem in regno Christi propagando assiduum magis fuisse, quam temporibus prioribus. Secunda pars huius emendationis spectat ad stylum. Quoad tertiam partem huius emendationis, auctori huius exceptionis non placet verbum istud „tum nata est et late per orbem vagata"; ideo vult deleri verba prima „tum nata est", et ut phrasis incipiat ab istis verbis: *tum late nimis per orbem vagata est.* Ratio quam affert ea est, quod rationalismus non inde a protestantismo in plures sectas diviso sit enatus: sed quod omni tempore historiae ecclesiasticae rationalismus quidam viguit. Hoc verissimum est si rationalismus sumatur in sensu latiori; omnes haeresiarchae imprimis ab Ario erant quodammodo rationalistae, nam fidebant plus arti suae dialecticae, quam simplici praedicationi evangelicae; seu ut s. Cyrillus Alexandrinus dicit, sunt homines, qui nil aliud quam Aristotelem eructant, et istis potius disciplinis quam Scripturarum scientiae sese venditant. Sed rationalismus in sensu moderno, qui omnem ordinem supernaturalem aut indirecte aut directe negat, certe enatus est ex protestantismo in plurimas sectas diviso, et ex agitatione animorum inde enata.

Secunda pars exceptionis 7 pertinet potius ad stylum. Quamvis ea quae in nostra constitutione dogmatica in prooemio dicuntur defendi possunt, Rmus auctor huius exceptionis offenditur verbis istis: plures etiam ex catholicae Ecclesiae filiis infecti fuerunt erroribus, qui impune grassabantur, quasi nos inferre vellemus, omnes istos asseclas rationalismi, pantheismi, naturalismi, materialismi etc. non fuisse nisi protestantes. Sed haec illatio omnino non est vera, nam dicimus expresse, cum sermo est de rationalismo et naturalismo eiusque foetibus, dicimus expresse; hinc longe lateque vagata est pestis illa; sed exinde inferimus hanc pestem non fuisse inclusam inter terminos protestantismi, sed invasisse etiam multos ex catholicis: et ii qui dicuntur filii Ecclesiae, in errorem inducti. non sunt asseclae pantheismi et materialismi etc., sed potius viri qui sibi blandiebantur causam Ecclesiae agere; quia vero cum Ecclesia non sentiebant, etiam a vera pietate aberrarunt. Ergo certe posset, ut iam dixi, textus prooemii defendi, sed res pertinet ad stylum, et ratio eiusdem habebitur.

Exceptio 8ª. De hac exceptione etiam debeo repetere, quae iam superius animadverti. Quae rmus auctor huius exceptionis in prima parte innuit, a scopo prooemii longe errant. Quod partem secundam attinet huius exceptionis, pertinet ad stylum. Quod attinet partem ultimam huius exceptionis octavae, rmus auctor vult addi in fine prooemii sequentia vel similia verba, scilicet: *Nemini licere absque salutis dispendio sentire, docere aut praedicare secus ac in hac constitutione declaratur ac definitur.* Sed idem quamvis non verbis adeo expressis iam reapse enuntiatur in fine prooemii; nam in fine prooemii utique dicitur: „Nunc autem sedentibus Nobiscum et iudicantibus universi orbis episcopis, in hanc oecumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu sancto congregatis innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia sancte custoditum et genuine expositum accepimus, ex hac Petri cathedra in conspectu

omnium salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, *adversis erroribus potestate* Nobis a *Deo tradita proscriptis* atque damnatis." In his verbis utique dicitur inter doctrinam, quae habetur in capitibus constitutionis de fide, et inter doctrinam, quae habetur in canonibus, non aliam esse differentiam, quam quae est inter positivam doctrinam de fide et negativam. Prima edicit quid sit de fide tenendum; altera vero quid sit de fide vitandum et damnandum.

Exceptio 8ª sub (*b*) etiam talis est, quae Deputationi de fide non videbatur iusta, ita ut ideo textus prooemii sit lacessendus. Nam vult rmus auctor huius exceptionis, quod addantur verba: *nec non toto supernaturali ordine sublato*. Nam, Rmi Patres, cum dicimus quod Deo et Christo eius negato, haec et haec mala evenerint, utique etiam inferimus, quod ordo supernaturalis sit *molimine* horum impiorum hominum sublatus.

Pervenimus iam ad tertiam classem exceptionum, ad quam pertinent exceptiones inde a numero 9° usque ad numerum 44um. Omnes hae exceptiones spectant ad unam eamdemque rem, scilicet ad verba initialia capitis primi nostrae constitutionis *De fide catholica*, ubi dicitur: „Sancta romana catholica Ecclesia." Rmi Patres, auctores harum exceptionum ad unum omnes conqueruntur de magnis illis difficultatibus, quibus ipsi hac phrasi obiiciuntur, praecipue respectu habito ad illum errorem episcopalium Angliae, qui contendunt Ecclesiam catholicam compositam esse ex Ecclesia romana, ex Ecclesia graeca et anglica; et speciatim afferunt hanc difficultatem in lingua anglica non posse removeri, quia ibi nullum datur discrimen inter verba *romano catholica* et *romana catholica*. Quod iam hanc difficultatem attinet, unus alterve Patrum Deputationis de fide credidit, etiam hanc rem iam esse iudicatam, ita ut ab illa amplius non sit recedendum; sed reapse hac de re non est iudicatum. Quod virgula non debeat interponi inter verba *romana catholica*, haec res est iudicata; sed quaenam denominatio sit adhibenda ad unicam et veram Ecclesiam Christi in terris indicandam, hac de re non est disputatum, nec etiam iudicatum; proinde longe maior pars imo in fine tota Deputatio de fide credidit huius difficultatis rationem habendam esse. Formulae utique diversae a rmis Patribus propositae fuerunt ad hanc difficultatem amovendam: inter omnes istas formulas a rmis Patribus propositas Deputationi de fide maxime placuit ea, quae habetur sub num. 23° sub divisione quarta, scilicet formula: *Sancta catholica apostolica romana Ecclesia*; quae formula utique solummodo in verbis initialibus primae constitutionis de fide adhibenda est; et proinde haec formula denuo suffragiis rmorum Patrum subiicienda est, et Deputatio de fide credit istam formulam omnino accipiendam esse.

Pervenimus iam ad classem quartam exceptionum; et ad hanc classem referuntur omnes exceptiones inde a num. 45° usque ad numerum 110um. Omnes hae exceptiones eatenus ad unam eamdemque utique quartam classem referuntur, quia concernunt singulas quasdam phrases aut in capitibus aut in canonibus, quae uni aut alteri ex rmis Patribus displicuerunt. Iam quod has exceptiones omnes attinet, possunt in tres species subdividi; ad primam speciem pertinent omnes istae exceptiones, quae nonnisi stylum concernunt, et huius speciei sunt exceptio 56ª cum dimidio, 64ª cum dim., 65ª, 66ª, 68ª, 69ª, 69ª cum dim., 71ª, 72ª, 73ª, 91ª, 92ª et 110ª. Quum omnes hae emendationes solummodo ad stylum spectent, nihil est quod ad vos referam, Rmi Patres. Secundae speciei sunt hae exceptiones quae concernunt emendationes iam olim a rmis Patribus propositas, et quae speciatim iam a Congregatione

generali exclusae fuerunt. Cum Deputatio de fide causam nullam iustam invenire potuerit labefactandi hanc sententiam, non una sed repetitis vicibus iam latam ; etiam quoad has exceptiones nihil habeo, quod ad vos referam. Huius speciei sunt exceptiones sequentes : 46ª, 47ª, 48ª, 48ª cum dimidio, 49ª, 50ª, 54ª, 55ª, 74ª, 75ª, 76ª, 77ª, 78ª, 79ª, 80ª, 81ª, 82ª, 83ª, 84ª, 85ª, 86ª, 87ª, 88ª, 89ª, 93ª, 95ª, 96ª, 97ª, 99ª, 101ª cum dimidio, 102ª, 103ª, 104ª et 105ª. Tertiae speciei exceptiones, quae etiam ad hanc classem referuntur, sunt illae de quibus solummodo generatim iudicatum est, vel quae *aliqua animadversione indigent*, vel *in quibus aliquid novi* affertur, cuius ratio haberi debet. Iam ad has ergo singulas exceptiones procedamus.

Prima huius speciei est 45ª. In hac exceptione proponitur, quod in capite primo constitutionis dogmaticae de fide loco phrasis „omnique perfectione infinitum" dicatur : *et in omni perfectione infinitum* ; ne Deus ab aliquibus dici possit infinitus tantummodo ob perfectionum cumulum. Exceptio ista iuxta opinionem Deputationis de fide non talis est, ob quam textus sit labefactandus. Nam omnes theologi consentiunt, quod Deo adscribi possint et debeant perfectiones omnium rerum, quae in Deo sunt ut in sua causa efficiente, ergo eminenti modo ; proinde certo dici potest de Deo, quod sit omni perfectione infinitus. Haec phrasis solummodo tunc vituperanda esset, si perfectiones, de quibus sermo est, sumerentur in sensu finito ; nam perfectiones finitae, quamvis in immensum cumulentur, nunquam infinitum efficient ; sed hac de re in textu nostrae constitutionis nullum verbulum occurrit.

Iam pervenimus ad caput secundum et quidem ad exceptiones 51am, 52am cum dimidio, et 53am. Hae tres exceptiones iterum unam eandemque rem concernunt. Rmi auctores huius exceptionis multum anguntur animo, quod enuntietur in capite secundo, Deum principium et finem omnium rerum lumine naturali ab homine certo cognosci posse ; et non acquiescunt hi rmi Patres, quamvis ipsis dicatur, agi in hoc capite solummodo de homine in genere, quidquid sit de singulis ; non acquiescunt quum ipsis dicitur agi solummodo de potentia, utique non mere passiva sed activa, Deum lumine naturali certo cognoscendi : sed instant, potentia quae numquam deducitur ad actum potius dicenda impotentia, et quidem non solummodo moralis sed physica. Iam potentia ista Deum lumine naturali cognoscendi, est talis potentia, quae numquam ad actum deducta est, nam sub num. 51 dicitur : „Nullus etenim „philosophorum, neque Aristoteles, neque Plato, neque Tullius, qui „fere omnem rationis potentiam praemonstrarunt, adeo ut eorum ves„tigia hodierni philosophi sequantur, potuerunt cum certitudine cognos„cere Deum principium et finem omnium rerum." Hinc concludunt, doctrina ista non potest admitti quod homo lumine naturali possit certo cognoscere Deum omnium rerum principium et finem.

Quid dicam de hoc syllogismo ? Quoad maiorem dico *transeat*, quamvis si responsio integra danda esset, certe etiam haec maior bene esset distinguenda. Sed mitto *maiorem* et *nego minorem*, scilicet quod nullus umquam philosophorum Deum omnium rerum principium et finem certo cognoverit. In parvula bibliotheca, quam heic Romae paravi, habeo etiam scholia graeca in Aristotelem in lucem edita curante Brandisio ex academia Borussica ; in eadem bibliotheca possideo Ethica Eudemia Aristotelis in editione pulcherrima Fritzschii, quae Ethica quamvis fuerint opus discipuli Aristotelis, scilicet Eudemi Rhodii ; tamen iuxta consensum omnium doctorum, ex mente Aristotelis ex-

pressa sunt. Iam quid videtur in his scholiis et in his Ethicis? Scholiastes graecus ad finem Physicorum Aristotelis haec verba adiicit, et peto, Rmi Patres, ut ea bene notetis. Dicit omnia quae Aristoteles in libris Physicorum habet, eo tendere ut doceat Deum esse mundi et etiam coeli causam non solummodo finalem, sed etiam efficientem. Verba scholiastae haec sunt: „Aristotelem omnem de principiis physicis institutionem in eminentem theologiam tanquam in apicem reduxisse, „demonstrando omnem physicam et corporalem constitutionem dependere ab incorporali et intellectuali bonitate, quae supra naturam posita est, et Deum esse non solummodo causam finalem sed efficientem „totius mundi et etiam coeli." Haec habentur in istis scholiis.

Quis, Rmi Patres, negare poterit Aristotelem reapse cognovisse Deum omnium principium et finem? In Ethicis Eudemi, et quidem libro VIII sequentia habentur; dicit ibidem discipulus Aristotelis ex mente magistri sui, Deum esse principium in animo hominis cogitantis, sicuti est in mundo universo: ideo illos homines prudentes et sapientes videri, qui quod agendum sit, celeriter quasi vaticinio quodam perspiciunt: „Nam (sunt verba ipsissima) Deus et futura cernit, et re„rum naturam veram intuetur, et ea quae se huic nostrae humanae „rationi subducunt, eique recondita sunt, perspecta habet." Demum in fine Ethicorum virtutis humanae finis, seu virtus humana sub sequenti ratione describitur: „Omnibus numeris absolutam honestatem hominis „seu virtutem in eo consistere, ut omni respectu naturae suae ratio„nalis mandatis Dei gubernatoris et principis pareat; bona vero exter„na, opes, amicos, bona corporis et reliqua id genus ita expetat hisque „ita utatur, ut his iuvet et augeat contemplationem Dei." Et in fine addidit: „Qui vero aut parum aut immodice quaerit bona externa, eo„que efficit ut in Dei cultu atque in Dei contemplatione impediatur, „huius pravum est studium." Ergo iuxta Aristotelem, omnes virtutes hominis tum intellectuales tum morales referuntur ad Deum; et quidem intellectuales referuntur ad contemplationem Dei, morales vero ad cultum Dei. Quis haec intuendo negare poterit, Aristotelem cognovisse certo Deum omnium principium et finem?

Quoad Platonem utique notissimum est quod ipse finem hominis posuerit in imitatione Dei, quantum fieri potest. Verum utique est, quod eae meliores et puriores de Deo et rebus divinis cognitiones parum vel nihil attulerint ad commune commodum; nam eae cognitiones tanquam placita philosophorum clausae manserunt inter portas academiae et lycei, et ibidem magis inserviebant disputationi philosophicae, quam emendationi morum. Sed hac re solummodo confirmatur verissimum illud verbum Apostoli ad Romanos ubi de sapientibus ethnicis dicit: *Qui cum cognovissent Deum, non sicuti Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis*. Et bene notate, Rmi Patres, Apostolus cum hoc in loco dicit quod cognoverint Deum, hanc cognitionem derivat ex speculo creaturarum, nam in praecedentibus de sola hac cognitionis methodo sermo est. Et non potest dici quod habuerint ethnici philosophi etiam semina traditionis, quidquid sit hac de re, de qua multum disputatum est et disputari potest; sed apostolus Paulus cum haec scribit, nonnisi ad cognitionem Dei naturalem per speculum creaturarum respicit. Ergo, Rmi Patres, certe causa iusta nulla adest, cur animo angantur Patres enunciando verba illa „hominem lumine naturali posse certo cognoscere Deum rerum omnium principium et finem."

Exceptio 52a. Rmus auctor huius exceptionis vult deleri in eadem phrasi et in eodem capite vocem „naturali“ scilicet lumine, et hanc affert causam : „Homo nunquam in statu mere naturali fuit, nec proinde esset rationis lumen. “Sed, Rmi Patres, mihi videtur rmus auctor huius exceptionis confundere duo, quae non sunt confundenda, scilicet principia rationis et exercitium rationis. Nos solummodo loquimur de principiis rationis, quod Deus ex principiis rationis certo cognosci possit ; quidquid sit de exercitio rationis. Si in hoc sensu non possit dici lumen naturale hominis, deinde, Rmi Patres, omnes omnino libri tam theologorum scholasticorum, tam reliquorum essent delendi.

Pervenimus iam (cum numeri 52 1/2 et 53 pertineant ad num. 51um *de quo modo dixi*), *pervenimus nunc ad 56 1/2 et 56um. Hae exceptiones* agunt de necessitate revelationis, ergo de secunda paragrapho capitis secundi ; et rmi auctores harum exceptionum offenduntur, quod revelatio supernaturalis solummodo ideo absolute necessaria dicitur, quod Deo placuerit hominem elevare ad statum supernaturalem ; et vellent et desiderarent, ut saltem oblique relinquatur etiam quaedam absoluta necessitas etiam pro ordine naturali.

Nam obiiciunt 1°. Hac nostra doctrina damnatur illa sententia, quod ad exercitium rationis necessaria sit quaedam institutio in societate humana.

Quid respondendum ? Nego. Et quidem nego, dummodo distinguatur, *ut modo antea dixi, inter exercitium rationis et inter principia rationis.* Quidnam enim docemus ? quaenam est doctrina nostra ? Doctrina nostra sequens est. Datur duplex ordo veritatum de Deo rebusque divinis, scilicet naturalis et supernaturalis. Sicut datur duplex ordo veritatum de Deo rebusque divinis, ita etiam datur duplex via perveniendi ad cognitionem harum veritatum, scilicet altera per principia rationis et altera per revelationem. Ideo revelatio absolute necessaria est ad veritates supernaturales de Deo rebusque divinis, non autem ita absolut[e necessari]a est ad cognoscendas veritates naturales. Ergo solummodo agimus de via, per quam homo tum ad cognitionem veritatum naturalium tum etiam supernaturalium pervenire potest ; sed non agimus de exercitio rationis. Quum dicimus, homo per principia rationis potest pervenire ad cognitionem veritatum naturalium de Deo rebusque divinis, utique nihil dicimus de via qua homo ad exercitium rationis pervenit.

Sed instant 2° et dicunt : Optimi nostri apologetae contendunt, etiamsi homo in statu purae naturae a Deo relictus fuisset, necessariam omnino fuisse revelationem, ut homo cognosceret quo cultu Deus sit prosequendus, qualis poenitentia Deo digna sit facienda, si homo peccasset ; et proinde doctrina nostra est nimium coarctata.

Quid respondendum ? Nego. Nam nos solummodo dicimus revelationem supernaturalem non esse absolute necessariam ad cognoscenda *quae rationi humanae in se impervia non sunt ; sed non dicimus quod* omnes veritates naturales sint humanae rationi perviae : proinde hypothesis illa, utrum sint quaedam veritates naturales, quae homini per se perviae non sint, haec hypothesis, quae utique est mera hypothesis, per doctrinam nostram non tangitur.

Exceptio 57a. Rmus auctor huius exceptionis offenditur verbis in tertia paragrapho capitis secundi ubi dicitur, quod libri canonici et sacri Spiritu sancto inspirante conscripti sunt, et vult potius substitui verba *divinitus inspirati.* Sed phrasis nostra, *ut nostis, desumpta est ex conci-*

lio Florentino. Concilium Florentinum verba s. Petri in secunda ipsius epistola, ubi dicit (1): *Non enim voluntate humana allata est unquam prophetia sed Spiritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines,* concilium Florentinum haec verba Principis apostolorum transtulit ad omnes hagiographos veteris et novi Testamenti; et ex verbis concilii Florentini desumpta est phrasis nostra.

Exceptio 58a: ubi dicitur „libri sacri et canonici ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt", rmus auctor huius exceptionis vult substitui sequentia verba: *uti tales ipsa Ecclesia ab eodem Spiritu sancto edocta semper agnovit.* Sed haec phrasis substituenda Deputationi de fide non placuit, ideo quia Spiritus sanctus Ecclesiae non revelat credenda; sed potius solummodo assistit, ut in proponendis quae credenda sunt non erret, proinde verba ista utique admittenda non sunt, quia iis verbis quasi innueretur, Ecclesiam posse per Spiritum sanctum edoceri quinam libri sint sacri et canonici, et ita quidem ut Spiritus sanctus non solummodo assistat Ecclesiae docenti, sed revelet Ecclesiae dogmata, quae proponenda sunt.

Exceptio 59a vult inferre aliquale discrimen inter libros canonicos et libros inspiratos seu sacros. Reapse quoad etymologiam est discrimen inter has vôces; imo etiam in hypothesi potest distingui inter librum canonicum et inter librum inspiratum seu potius viceversa: sed in concreto, sicut nos loquimur de libris sacris veteris et novi Testamenti, nullum datur discrimen inter libros canonicos et inter libros inspiratos seu sacros.

Exceptio 60a est maioris momenti, et peto, Rmi Patres, ut saltem per momentum huic exceptioni immorari mihi liceat, et quidem multo magis, quia ex quadam inadvertentia Deputationis formula ista, ubi in quarta paragrapho capitis secundi agitur de sensu dogmatico sacrae Scripturae, formula ista, dico, rmis Patribus typis edita non tradita fuit. sed immediate in ipsa Congregatione generali hac de re relatio facta, et etiam hac de re iudicatum est. Rmus auctor huius exceptionis vult, quod ubi agitur de vero sensu sacrae Scripturae a quovis catholico tenendo, deleantur verba ista „in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium". Verba ista omnino deleri utique non possunt, nam habentur in Tridentino, et proinde etiam in nostra constitutione dogmatica desiderari nequeunt. Sed audiamus rationes seu argumenta, quae a rmo auctore huius exceptionis afferuntur. Argumentum primum hoc est, dicit: Ecclesia est infallibilis interpres revelationis totius, quae tum in sacris Scripturis tum in traditione continetur; et proinde ius habet iudicandi de vero sensu sacrae Scripturae non solummodo in rebus ad fidem et mores spectantibus, sed etiam in aliis ex. gr. historicis; et quidem hoc multo magis, quia nostris temporibus petulantia ingenia interpretum quorumdam vel maxime veritatem historicam sacrae Scripturae impugnant; et proinde dicit nimium coarctari ius Ecclesiae iudicandi de vero sensu sacrae Scripturae.

Quid dicam? Concedo antecedens, sed nego consequens. Concedo quod Ecclesia ius habet non solummodo iudicandi de vero sensu in rebus fidei, id est in dogmatibus, ut ita dicam, speculativis, et in rebus quae ad mores spectant; sed etiam in rebus quae ad historicam veritatem etc. pertinent. Inde vero non sequitur quod iuxta auctorem rmum

(1) Cap. I, 21.

huius exceptionis sequi deberet; nam quod attinet istas interpretationes, circa veritates historicas, dico, huiusmodi interpretationes aut non sunt contra dogma inspirationis sacrae Scripturae et singularum partium, aut sunt contra hoc dogma. In casu priori utique libere de iis interpretationibus potest disputari; in casu posteriori si talis interpretatio veritatis historicae offenderet dogma inspirationis, iam utique spectat ad res fidei, et proinde certe Ecclesia hac de re iudicandi ius habet.

Sed instat rmus auctor huius exceptionis, quod verba ista „in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae pertinentium" aequivoce et non in sensu concilii Tridentini in nostra constitutione dogmatica sonant. Nam dicit, in concilio Tridentino hac additione coarctari solummodo petulantia ingenia: in nostra vero constitutione coartcari ius Ecclesiae. Rmi Patres, etiam haec obiectio mihi et Deputationi de fide satis fundata non videtur. Quis est enim textus concilii Tridentini? Textus concilii Tridentini seu potius ipsissima eius verba haec sunt: „Praeterea ad coercenda petulantia ingenia (ergo praecedit hoc moti- „vum decreti, et post hoc motivum venit ipsum decretum, et quid con- „tinetur?) decernit ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et „morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram „Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem „tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero „sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra „unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari „audeat."

Ergo decretum concilii Tridentini duabus partibus constat, scilicet quod nemo audeat sacram Scripturam contorquere in sensum suum privatum, et quod unusquisque teneatur sacram Scripturam non aliter interpretari, quam iuxta sensum Ecclesiae, et non contra consensum Patrum; sed adiuncta est conditio: in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium. Ergo restrictio illa utique ad priorem partem aeque pertinet ac ad posteriorem: et reapse nullum verum discrimen est inter constitutionem dogmaticam nostram et inter decretum tridentinum. Discrimen hoc tunc solummodo admitti posset saltem quadam veri specie, si tridentina verba ipsissima sic sonarent: praeterea ad coercenda in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, petulantia ingenia decernit, ut nemo audeat sacram Scripturam ad sensum suum contorquens contra eum sensum... interpretari. Ergo si restrictio illa revera in Tridentino transumpta fuisset ad coercenda petulantia ingenia, tunc utique aliqua saltem veri species adesset. Sed quum reapse haec restrictio referatur ad illam partem decreti, quod nemo ingenio suo privato indulgeat in interpretanda Scriptura; sed quod interpretur sacra Scriptura iuxta sensum Ecclesiae, et non contra consensum Patrum, reapse discrimen nullum intercedit.

Exceptio 61[a]. Excipitur contra verba „increatae veritati" ut potius dicatur: *aeternae veritati*. Antithesis, quae est in hoc capite, potius certe postulat „increatae veritati" cum dicitur, quod creata ratio subdita sit increatae veritati, et non aeternae veritati. Et reapse certo dici optime potest „increatae veritati". Nam nostis, Rmi Patres, quod divus Thomas defendit sequentes propositiones: Quaelibet veritas praeter primam, id est Deum, est aliquo modo mutabilis; et propositionem sequentem: Veritas creata est maior anima secundum quid, ut perfectio eius, non

autem simpliciter. Ergo optime iuxta theologos optimos potest sermo fieri de veritate increata.

Exceptio 62a. Haec omnino verissima est, nam reapse in concilio Arausicano non habetur verbum „assentiendo" sed *consentiendo*, et haec mutatio utique facta est, quin suffragia Patrum desuper sint roganda.

Exceptio 63a. Rmus auctor huius exceptionis putat, ea, quae habentur in capite tertio de obiecto fidei, iuxta ordinem logicum non suo loco posita esse : sed Deputatio de fide opinionem contrariam fovet. Nam sub aliqua specie utique verum est, quod rmus auctor dicit ; sed si spectemus totam seriem sententiarum in isto capite tertio, certe locus aptissimus est pro obiecto fidei, quem paragraphus ista occupat. Agitur enim in isto capite primo de virtute fidei, et postquam fuse satis de virtute fidei actum est, agitur de obiecto fidei, et quidem fidei catholicae ; et deinde in sequenti paragrapho agitur de perseverantia in fide catholica : sed utique prius de obiecto fidei catholicae sermo esse debet, quam agatur de perseverantia in hac fide catholica.

Exceptio 64a est mere negativa ; et proinde nihil habeo, quod ad vos referam, Rmi Patres.

Etiam exceptio 67a est mere negativa ; et proinde etiam de ea idem dicendum.

Exceptio 70a in caput quartum. Agitur ibidem in illa paragrapho, de qua sermo est in hac exceptione, agitur de scientiis humanis. Offenditur iam auctor huius exceptionis verbis, quod hae disciplinae humanae, iuvante Dei gratia, sicuti a Deo profectae sunt, ita ad Deum perducere possint. Sed, Rmi Patres, si integer sensus huius paragraphi spectetur, certe causa iusta nulla adest, cur impugnetur phrasis ista. Quinam enim est sensus integer huius doctrinae ? Dicitur ibidem, humanas scientias multum conferre in commoda temporalia hominum, imo non solummodo in commoda temporalia plurimum conferre, sed etiam ad cultum religionis ; proinde ad religionem ipsam fovendam posse plurimum conducere, sicuti reapse in omnibus illis locis accidit, in quibus, ut in universitatibus nostris, omnes scientiae sibi invicem opem ferunt, et intimo amicitiae nexu inter se connectuntur. Sed tale emolumentum, quod spectat ad ipsam religionem, ad ipsum Dei cultum magis fovendum, utique non sine iuvante gratia fieri potest.

Pervenimus iam ad exceptionem 90am, nam de reliquis iam generatim dixi ubi classem quartam in suas species distribui. Rmus auctor huius emendationis vult, ut in canone primo ante verbum „creatorem" addatur *esse*, ita ut canon sic sonet : *Si quis negaverit, Deum esse creatorem, anathema sit.* Sed fallitur rmus auctor, cum putat eam fuisse mentem Deputationis hic definiendi, quod non solummodo existentia Dei lumine naturali cognosci possit, sed etiam directe definiendi, quod Deus sit creator omnium rerum : hoc utique non directe, sed solum illative in canone dicere voluimus.

Exceptio 94a agit de canone quinto capitis primi ; et rmus auctor huius exceptionis desiderat, ut pars ista canonis sic concipiatur : *aut asseruerit, mundum, qui ad gloriam Dei conditus est, etiam ad augendam Dei beatitudinem esse creatum.* Sed iterum fallitur rmus auctor huius emendationis ; nam, re sic enunciata, directe enunciaretur, quod Deus non creaverit mundum ad augendam suam beatitudinem, et indirecte solummodo, quod illum creaverit ad suam gloriam. Sed mens Deputationis de fide contraria erat, scilicet directe definiendi quod Deus condiderit mundum (ubi de fine creaturae sermo est) ad gloriam suam.

De exceptione 98a iam sermonem institui, ubi sermo erat de cognitione Dei naturali in capite primo : nam refertur exceptio ista ad eamdem prorsus rem.

Exceptio 98 1/2. Rmus *auctor huius exceptionis vult deleri* „creatorem et Dominum nostrum" in canone primo, et quidem ea ex ratione, ne videamur directe dicere, creationem omnium rerum proprie sic dictam sola ratione certo cognosci posse, ita quidem ut anathemate damnandus sit ille, qui contrarium teneat ; et infert quod creatio proprie sic dicta lumine naturali cognosci non possit, sicut historia philosophica testatur. Rmi Patres, verum est quod tempore s. Bonaventurae multum disputatum fuerit et disceptatum in scholis catholicis, utrum philosophi antiqui gentiles creationem mundi ex nihilo cognoverint necne : sed hâc de re omnes conveniunt, quod saltem potuerint cognoscere Deum creatorem. Et reapse ni fallor, si verum sensum saltem Aristotelis assecutus fuerim, Aristoteles multo magis in eo erravit, quod crediderit mundum esse aeternum, quam quod crediderit mundum non fuisse creatum a Deo. Utique uterque error aliquo interiori nexu inter se connectitur. Deputatio de fide vero putavit non sibi licere resecare in canone vocem „creatorem", quia in libro Sapientiae vox ista omnino adhibetur ; et vocem sacrae Scripturae resecare, cum agatur de re prorsus eadem, Deputatio de fide licitum non putavit.

Venimus iam ad exceptionem 99 1/2. Exceptio illa spectat ad canonem tertium capitis secundi. Canon iste in constitutione dogmatica sic sonat : „Si quis dixerit, hominem ad cognitionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex se ipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere ; anathema sit". Iam rmus auctor huius exceptionis proponit canonem istum sequenti ratione esse efformandum : *Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex se ipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu... anathema sit.* Haec exceptio Deputationi de fide omnino placuit ; nam negari non potest tali ratione antithesim inter partem primam et secundam huius canonis esse integram, cum alias manca fuisset. Nam cum in secunda parte non solummodo agatur de cognitione veri seu de possessione veri, sed etiam de possessione omnis boni, utique etiam in prima huius canonis parte est dicendum : si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, pertingere non posse. Et reapse iuxta systema progressistarum optime sic canon confici potest, nam progressistae non solummodo negant dari aliud principium cognoscendi quam naturale ; sed etiam negant dari aliam perfectionem quam naturalem : et proinde etiam ex ipso systemate progressistarum, contra quod canon iste vel maxime fertur, optime haec additio fieri poterit. Et proinde Deputatio de fide proponit, hanc exceptionem seu potius emendationem suffragiis Patrum submittendam esse.

Exceptio 101a. Rmo *auctori huius exceptionis non placet verbum in* canone primo capitis tertii „imperari non posse" fidem scilicet ; sed potius vellet mutare haec verba in sequentia : *menti humanae non potuisse adnecti cum rationis lumine lumen supernaturale revelationis, et huic obsequium praestare.* Sed ni fallor, verba canonis, prout iacent, rei veritati multo magis conveniunt. Nam iactatae independentiae rationis, quae in canone isto damnatur, opponitur meritum fidei ; ut nostis, Rmi Patres, descendit ex obedientia Deo, quae praestatur illis, quae ratio non videt. Proinde meritum fidei descendit ex imperata fide ; et cum

meritum fidei vel maxime opponatur iactae independentiae rationis, optime, ut arbitror, dici potest : si quis dixerit, rationem humanam ita esse prorsus independentem, ita ut fides ipsi imperari non possit etc.

Exceptio 105a et etiam sequentes exceptiones pertinent ad canonem quintum capitis tertii, de quo toties in hac aula, et multo magis etiam in consessu Deputationis de fide disceptatum fuit. Reapse negare non possumus inesse adhucdum huic canoni, saltem ex parte, aliquid duriusculi. Sed denique omnes emendationes tum nostras tum etiam in foliis istis propositas ad trutinam revocavimus ; et tamen invenimus, si ad errorem Hermesii spectetur, qui isto canone condemnatur, nullam aliam formam rem melius exprimere, quam illam quae in ultima Congregatione fuit proposita et etiam a Congregatione generali acceptata.

Pervenimus ad exceptionem sub numera 109, quae exceptio refertur ad secundam partem canonis, scilicet, qui dixerit gratiam necessariam esse solummodo ad fidem vivam, quae per charitatem operatur, anathema sit. Rmus auctor huius exceptionis vult verba ista immutari in sequentia : *aut ad fidem etiam initialem et per charitatem adhuc non operantem gratiam Dei non esse necessariam.* Vera sunt, et verissima sunt, quae ibi rmus auctor affert ; sed cum error Hermesii vel maxime in eo constiterit, quod gratiam solummodo in rebus fidei necessariam putaverit ad fidem, quae per charitatem operatur, utique respiciendus est proximus canonis huius scopus ; et respectu habito proximi huius scopi, nulla ratio iusta adest, cur sententia Patrum hac de re denuo labefactetur.

Exceptio 110a ad stylum ut iam dixi pertinet. Ergo sic absolvitur classis quarta.

Jam restat, Rmi Patres, classis quinta et ultima. Exceptiones quae sequuntur inde ab 111a usque ad finem referuntur ad unam eamdemque rem, scilicet ad duplex monitum quod constitutioni dogmaticae de fide adiectum est. Quid dicam de hac conclusione constitutionis nostrae ?

Deputatio de fide non una vice, sed repetitis vicibus in sinu consessus sui hac de re egit, et semper censuit eadem prorsus constantia, hanc conclusionem sive tale monitum omnino necessarium esse. Nam non potuit non praevidere quanta mala exoritura sint, si opinio illa invalesceret quod de omnibus, quae neque in capitibus neque in canonibus huius constitutionis de fide continentur, in scholis libere, imo liberrime posset disputari. Huic tanto malo, quod eo maius esset cum post tot saecula demum Concilium Vaticanum sequutum fuerit ultimam synodum Tridentinam, huic tanto malo alia ratione obviam ire Concilium Vaticanum non potest iuxta sententiam Deputationis de fide, quam addendo constitutioni dogmaticae de fide talem clausulam, seu talem conclusionem, qua monentur fideles officii sui in erroribus eliminandis, et qua admonentur magistri, quod non sufficit probato catholico solummodo ea vitare, quae de fide vitanda sunt, sed etiam ea, quae per decreta Sedis apostolicae sunt definita.

Ergo de necessitate huius conclusionis, ne momento quidem temporis in consessu Deputationis vestrae de fide disputatum fuit ; de loco et de tempore utique aliquantulum haesit, sed solummodo unica vice : et rmus relator, qui ultima vice officio relatoris ex hoc ambone functus est, rationes vobis, Rmi Patres, ingenue exposuit, cur Deputatio de fide censeat istam conclusionem hoc loco esse publicandam. Caeteroquin per se patet quod quoad valorem dogmaticum, id est quoad censuram adiectam nihil immutatur in decretis Sedis apostolicae, etiamsi conclusio

ista per Concilium Vaticanum probetur et publicetur. Valor dogmaticus seu censura adiecta prorsus eadem et immutata manet, qualis fuit ante publicationem et decretum Concilii Vaticani. Proinde, Rmi Patres, obsecro et obtestor omnes, ut huic etiam conclusioni calculum suum, utique album, adiiciant.

Haec ergo sunt, Rmi Patres, quae vobis referenda habui. Si quid incautius eloquutus sum, parcite mihi. Nam multa debui eloqui, et ut Iacobus apostolus dicit, in multiloquio non deerit peccatum.

Cum igitur rmus relator hac sua longa oratione loquutus fuerit de exceptionibus propositis in universam constitutionem, duas tantum Patribus proposuit acceptandas, nimirum emendationem 23am sub num. 4o ubi dicitur incipiendum his verbis : *Sancta catholica apostolica romana Ecclesia*, et 99am cum dimidio, ubi canon tertius capitis secundi his verbis exprimitur : *Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, anathema sit.*

Tunc emus primus Praeses Patribus dixit :

„Iuxta hanc expositionem nomine Deputationis pro rebus fidei factam, de duobus articulis exquirenda erunt suffragia Patrum ; idque „per actum surgendi fiet more solito. R. D. Subsecretarius praeleget „articulos, de quibus ferenda erunt suffragia.“

Praelectis articulis et duplici experimento subiectis, ac consensu Patrum pene unanimi approbatis, emus primus Praeses declaravit utrumque fuisse a Congregatione generali admissum. Addidit autem :

„Emendationes admissae suis locis inserentur schemati, quod accu„ratissime revisum iuxta omnes emendationes admissas singulis rmis „Patribus ante Sessionem publicam ad propriam habitationem mitte„tur. Quod autem de Sessione publica annuntiare ac monere visum est, „R. D. Subsecretarius ex ambone annuntiabit.“

Qui ambonem ascendens sequens monitum alta voce perlegit :

„Cum post diutinos gravesque labores, quibus Deus benedixit, suffi„ciens materia pro celebranda publica Sessione in promptu sit, SSmus „Dominus Noster statuit, ut tertia Sessio sacri oecumenici Concilii Va„ticani habeatur proxima Dominica, quae est Dominica in Albis, dies „24 currentis mensis Aprilis.“

„In hac Sessione suffragia Patrum de constitutione dogmatica, quae „inscribitur *De fide catholica*, exquirentur eadem forma, quae nuper in „Congregatione generali adhibita est, ita scilicet, ut nomina singulo„rum Concilii Patrum iuxta ordinem dignitatis et promotionis alta „voce recitentur, iique quorum nomina fuerint recitata, statim surgant, „et alta ac intelligibili voce suffragium edant respondendo *placet* vel „*non placet.*“

„Animadvertendum quippe est, quod in publica Sessione iuxta litte„ras apostolicas *Multiplices inter* diei 27 Novembris 1869 num. 8, quo „modus procedendi in Sessionibus publicis praescribitur, non liceat „aliter suffragium dare, nisi pure et simpliciter per verba *placet* aut *non* „*placet*, excluso alio quovis modo.“

„Dies autem proximae Congregationis generalis post Sessionem pu„blicam habendae significabitur Patribus per monitum typis impressum „una cum argumento, quod in ea tractandum erit.“

„E Secretaria Concilii Vaticani d. 18 Aprilis 1870.“

IOSEPHUS Episcopus S. Hippolyti
Secretarius.

Post haec, iussu Praesidum idem monitum typis impressum singulis Patribus distributum fuit ; et demum dimissa Congregatio est.

DOCUMENT XXV

Actes authentiques de la troisième session où fut promulguée la Constitution Dei Filius le 24 avril 1870.

SESSIO TERTIA

Ratione moniti [in Congregatione generali XLVI. promulgati] Praefectus Caeremoniarum deinceps sequentem schedam edidit :

Intimatio per Cursores facienda domi, quoque dimisso exemplari.

Die 24 Aprilis anni 1870 Dominica in Albis *hora nona* antemeridiana in patriarchali basilica S. Petri in Vaticano habebitur Sessio III. sacri Concilii oecumenici.

Emi et Rmi DD. Cardinales *vestibus rubris* induti cum *calceis nigris* accedent ad memoratam basilicam, ubi adorato SS. Sacramento, paramenta *coloris rubri* cuique ordini propria assument et petent subsellia in aula conciliari.

Rmi DD. Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates locum in Concilio habentes, adorato ut supra SS. Sacramento, in parato sacello S. Sebastiani vestes sacras *coloris rubri* sibi debitas induent, et in aulam praedictam convenient.

Missa votiva de Spiritu Sancto cantabitur ab Emo et Rmo D. Cardinali Bilio, in qua obedientia Sanctissimo Domino Nostro non praestabitur, neque fient circuli consueti.

Expleta Missa, statutae preces iuxta ordinem persolventur, quibus absolutis, suffragium dabitur a Patribus ea forma, quae praescripta est in monito a Rmo Episcopo S. Hippolyti Concilii Secretario die 18 vertentis mensis evulgato.

Intimentur itaque omnes et singuli Emi et Rmi DD. Cardinales, Rmi DD. Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates et supremi Moderatores Congregationum et Ordinum Regularium ex Apostolica concessione locum in Concilio Vaticano habentes.

Intimentur quoque Vice-Camerarius, Princeps solii Concilii Custos, R. C. A. Auditor et Thesaurarius, Antistes pontificiae domui praepositus, Senator et Conservatores Urbis, Magister S. Hospitii, Protonotarii de numero Participantium quinque, Auditores Rotae quatuor, Clerici Camerae Apostolicae duo, Votantes Signaturae quatuor, Abbreviatores de Parco maiori duo, Officiales Concilii.

De Mandato SSmi D. N. Papae.

Aloysius Ferrari Protonot. Apost.
Praefectus Caeremoniarum.

Itaque die et hora statuta Concilii Patres in aulam conciliarem convenerunt propria subsellia petentes : ibique, praeter Rmum Dominum Episcopum S. Hippolyti Secretarium Concilii, aderant etiam omnes eiusdem Concilii Officiales. Missa votiva de Spiritu Sancto ab Emo et Rmo

Domino Cardinali Aloysio Bilio solemniter celebrata, Sanctissimus Dominus sacris vestibus cum pluviali et mitra indutus aulam ingressus est conciliarem medius inter Emos et Rmos Dominos Iacobum Antonelli et Gasparem Grassellini Cardinales Diaconos seniores, praecedente Auditore Sacrae Rotae Rmo Dno Aloysio Isoard Subdiacono Apostolico qui crucem deferebat, et assectantibus pontificiae familiae administris. Absolutis ritibus et caeremoniis in Methodo et Ordine praescriptis et in superioribus Sessionibus observatis, Evangelium *Undecim discipuli* ex Capite XXVIII. S. Matthaei cecinit Emus et Rmus Dominus Eduardus Borromeo Cardinalis Diaconus. Post evangelii cantum, SSmus Dominus ad faldistorium in genua procumbens intonuit hymnum *Veni Creator Spiritus*, qui, alternantibus Patribus et Cantoribus, absolutus fuit consuetis versiculis et Oratione.

Ianuae aulae synodalis ex mandato Pontificis populo patuerunt; neque exire iussi sunt pro eo tempore, quod in Methodo designatur, qui in Synodo locum non habebant.

Tunc Rmus Dominus Episcopus S. Hippolyti Concilii Secretarius et Rmus Dominus Episcopus Fabrianensis et Matilicensis ad thronum Pontificis perrexerunt: et Episcopus Fabrianensis iuxta morem accepit a SSmo Patre constitutionem dogmaticam publicandam, quam Secretarius Concilii eidem SSmo obtulerat; ac deinde ex ambone elata voce eam recitavit tenoris ut sequitur:

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI SACRO APPROBANTE CONCILIO.

ad perpetuam rei memoriam etc. (Voir t. I, p. 7 et 670 et t. II, p. 5 et 343).

Hac Constitutione eiusque partibus integre perlectis, idem Fabrianensis et Matilicensis Episcopus Concilii Patres his verbis interrogavit:

„Reverendissimi Patres, placentne Vobis Decreta et Canones qui in „hac Constitutione continentur?“

Ut autem singulorum Patrum suffragia hac super re accurate haberentur, Rmus Dominus Concilii Subsecretarius ambonem conscendens nomina singulorum Concilii Patrum iuxta ordinem dignitatis et promotionis alta voce recitavit, ut quilibet suo nomine prolato suffragium ferret respondendo *placet* vel *non placet* ad formam Litterarum Apostolicarum *Multiplices inter*. Interim tum Scrutatores ad excipienda suffragia destinati tum Protonotarii, quorum munus erat eadem suffragia describere, e suis locis singulorum Patrum responsa accuratissime scripto exceperunt. Recensione suffragiorum habita, compertum est unanimem fuisse omnium Patrum assensum per verbum *placet* declaratum. Iidem autem Scrutatores et Notarii, exhibitis prius, quae scripto exceperant, suffragiis Rmo Domino Concilii Secretario, una cum ipso ad solium Pontificis perrexerunt: et omnibus in genua provolutis ad infimum pontificii throni gradum, Secretarius throni gradus ascendens SSmo Patri suffragiorum exitum sequenti formula renunciavit:

„Beatissime Pater: Decreta et Canones placuerunt omnibus Patribus, „nemine excepto.“

Tunc Summus Pontifex surgens supremam suam sententiam edixit solemni hac formula:

„*Decreta et Canones qui in Constitutione modo lecta continentur placue-„runt omnibus Patribus nemine dissentiente, Nosque, sacro approbante*

„*Concilio, illa et illos ut lecta sunt definimus, et Apostolica auctoritate con-„firmamus.*“

Postea duo Advocati Consistoriales accedentes cum Protonotariis ad solium Pontificis eosdem Protonotarios rogarunt, ut ad memoriam gestorum instrumentum vel instrumenta conficerent, dicentes:

„Rogamus Vos Protonotarios praesentes ut de omnibus et singulis in „hac publica Sessione sacrosancti Concilii oecumenici Vaticani gestis „authenticum instrumentum vel instrumenta conficiantur.“

Ad quorum instantiam Aloysius Colombo Collegii Protonotariorum Decanus omnium nomine respondit:

„Conficiemus, Vobis testibus.“

Innuendo Rmos Dominos Bartholomaeum Pacca pontificiae domui Praepositum, et Franciscum Ricci Praefectum cubiculi Sanctitatis Suae. Tandem, cantato hymno *Te Deum*, Smus Pater Apostolicam Benedictionem impertivit, quam subsecuta est Indulgentiae publicatio facta ab Emo et Rmo Domino Philippo de Angelis Cardinali presbytero adsistente. Ita finem habuit tertia publica Sessio sacrosancti oecumenici Concilii Vaticani.

Liste des Pères du Concile qui assistèrent à cette troisième session.

Patres, qui huic tertiae Sessioni interfuerunt, hi sunt:

EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI S. R. E. CARDINALES.

Ordinis episcoporum.

Constantinus Patrizi, Episcopus Portuensis et S. Rufinae.
Aloysius Amat, Episcopus Praenestinus S. R. E. Vice-Cancellarius.
Nicolaus Paracciani Clarelli, Episcopus Tusculanus.
Camillus di Pietro, Episcopus Albanensis.
Ioseph Milesi Pironi Ferretti, Episcopus Sabinensis, Abbas Commendatarius perpetuus et ordinarius Ss. Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias.

Ordinis presbyterorum.

Philippus de Angelis, Tit. S. Laurentii in Lucina, Archiepiscopus Firmanus, S. R. E. Camerarius.
Aloysius Vannicelli Casoni, Tit. S. Praxedis, Archiep. Ferrariensis.
Fridericus Schwarzenberg, Tit. S. Augustini, Archiepiscopus Pragensis.
Cosmas Corsi, Tit. Ss. Ioannis et Pauli ad Clivum Scauri, Archiepiscopus Pisanus.
Dominicus Carafa de Traetto, Tit. S. Mariae Angelorum, Archiepiscopus Beneventanus.
Franciscus Augustus Donnet, Tit. S. Mariae in Via, Archiepiscopus Burdigalensis.
Carolus Aloysius Morichini, Tit. S. Onuphrii, Episcopus Aesinus.
Ioachim Pecci, Tit. S. Chrysogoni, Episcopus Perusinus.
Ioseph Othmarus Rauscher, Tit. S. Mariae de Victoria, Archiepiscopus Vindobonensis.
Alexander Barnabo, Tit. S. Susannae.
Antonius Benedictus Antonucci, Tit. Ss. Silvestri et Martini ad Montes, Episcopus Anconitanus et Humanensis.
Henrius Orfei, Tit. S. Balbinae, Archiepiscopus Ravennatensis.

Petrus de Silvestri, Tit. S. Marci.
Carolus Sacconi, Tit. S. Mariae de Populo.
Angelus Quaglia, Tit. Ss. Andreae et Gregorii in Monte Coelio.
Antonius Maria Panebianco, Tit. Ss. XII. Apostolorum, Maior Poenitentiarus.
Ioseph Aloysius Trevisanato, Tit. Ss. Nerei et Achillei, Patriarcha Venetiarum.
Antoninus de Luca, Tit. Ss. Quatuor Coronatorum.
Ioseph Andreas Bizzarri, Tit. S. Hieronymi Illyricorum.
Ludovicus de la Lastra y Cuesta, Tit. S. Petri ad Vincula, Archiepiscopus Hispalensis.
Ioannes Baptista Pitra, Tit. S. Callisti.
Philippus Maria Guidi, Tit. S. Sixti, Archiepiscopus Bononiensis.
Henricus Maria de Bonnechose, Tit. S. Clementis, Archiepiscopus Rothomagensis.
Gustavus d'Hohenlohe, Tit. S. Mariae in Transpontina.
Aloysius Bilio, Tit. S. Laurentii in Paneperna.
Lucianus Bonaparte, Tit. S. Pudentianae.
Innocentius Ferrieri, Tit. S. Caeciliae.
Laurentius Barili, Tit. S. Agnetis extra moenia.
Ioseph Berardi, Tit. Ss. Marcellini et Petri.
Ioannes Ignatius Moreno, Tit. S. Mariae a Paco, Archiepiscopus Vallisoletanus.
Raphael Monaco la Valletta, Tit. S. Crucis in Hierusalem.

Ordinis diaconorum.

Iacobus Antonelli, Diaconus S. Mariae in Via Lata.
Prosper Caterini, Diaconus S. Mariae Scalaris.
Gaspar Grassellini, Diaconus S. Mariae ad Martyres.
Theodulphus Mertel, Diaconus S. Eustachii.
Dominicus Consolni, Diaconus S. Mariae in Dominica.
Eduardus Borromeo, Diaconus Ss. Viti et Modesti.
Hannibal Capalti, Diaconus S. Mariae in Aquiro.

REVERENDISSIMI DD. PATRIARCHAE.

Rogerius Aloysius Antici Mattei, Constantinopolitanus.
Paulus Ballerini, Alexandrinus.
Gregorius Jussef, Antiochenus, rit. graec. melchit.
Paulus Brunoni, Antiochenus, rit. latin.
Ioseph Valerga, Hierosolymitanus.
Ioseph Audu, Babylonensis, rit. chaldaic.
Thomas Iglesias y Barcones, Indiarum Occidentalium.
Antonius Hassun, Ciliciensis, rit. armen.
Clemens Bahus, *iam* Antiochenus, rit. graec. melchit.

REVERENDISSIMI DD. PRIMATES.

Maximilianus de Tarnoczy, Archiepiscopus Salisburgensis.
Antonius Salomone, Archiep. Salernitanus, Administrat. perpet. Eccl. Acernensis.
Emmanuel da Silveira, Archiep. S. Salvatoris in Brasilia.
Miecislaus Ledochowski, Archiep. Gnesnensis et Posnaniensis.
Franciscus Fleix y Solans, Archiep. Tarraconensis.

Ioannes Simor, Archiep. Strigoniensis.
Victor Augustus Dechamps, Archiep. Mechliniensis.
Daniel Mac Gettingan, Archiep. Armacanus.

REVERENDISSIMI DD. ARCHIEPISCOPI.

Laurentius Pontillo, Consentinus.
Ioannes Mac Hale, Tuamensis.
Tobias Aun, Berytensis, rit. maronit.
Godefridus Saint-Marc, Rhedonensis.
Petrus Apelian, Germaniciensis seu Marascensis Archiep. Ep., rit. armen.
Ignatius Kalybgian, *iam* Amasenus Archiep. Episc., rit. armen.
Iosephus Giagia, Cyprensis, rit. maronit.
Petrus Cilento, Rossanensis.
Alexander Asinari de Sanmarzano, Ephesinus in part. infid.
Alexander Angeloni, Urbinatensis.
Franciscus Norbertus Blanchet, Oregonopolitanus.
Petrus Richardus Kenrick, S. Ludovici.
Eduardus Hurmuz, Siracensis in part. infid., rit. armen.
Raphael Valentinus Valdivieso, S, Iacobi de Chile.
Raphael d'Ambrosio, Dyrrachiensis.
Augustinus Georgius Barshino, Salmasiensis, rit. chaldaic.
Ioseph de Bianchi Dottula, Tranensis, Nazarenus et Barulensis, Administr. perpet. Eccles. Vigiliensis.
Iulius Arrigoni, Lucanus.
Gregorius de Luca, Compsanus, Administr. perpet. Eccl. Campaniensis.
Ioseph Rotundo, Tarentinus.
Antonius Claret y Clarà, Traianopolitanus in part. infid.
Ioannes Hagian, Caesariensis in Cappadocia Archiep. Episc., rit. armen.
Ioannes Baptista Purcell. Cincinnatensis.
Renatus Franciscus Régnier, Cameracensis.
Beniaminus Eusebides Dimitrio, Neapoleos, rit. graec.
Ioseph Matar, Aleppensis, rit. maronit.
Silvester Guevara, S. Iacobi de Venezuela.
Ioannes Zwijsen, *iam* Ultraiectensis, *nunc* Episc. Buscoducensis.
Ioseph Sadoc Alemany, S. Francisci.
Philippus Cammarota, Caietanus.
Vincentius Taglialatela, Sipontinus, Administr. perpet. Eccl. Vestanae.
Ioannes Tamraz, Corcurensis seu Kerkukensis, rit. chaldaic.
Vincentius Tizzani, Nisibenus in part. infid.
Franciscus Xaverius Appuzzo, Surrentinus.
Caietanus Rossini, *iam* Acheruntinus et Matheranensis, *nunc* Episc. Melphicti, Iuvenacii et Terlitii.
Petrus Villanova Castellacci, Petrensis in part. infid.
Vincentius Spaccapietra. Smyrnensis, Vic. Ap. Asiae minoris.
Georgius Errington, Trapezuntinus in part. infid.
Franciscus Aemilius Cugini, Mutinensis, Abbas *nullius* Nonantulae.
Marianus Ricciardi, Rheginensis.
Gregorius de Scherr, Monacensis et Frisingensis.
Salvator Nobili Vittelleschi, *iam* Seleuciensis in part. infid., *nunc* Episc. Auximanus et Cingulanus.
Alexander Franchi, Thessalonicensis in part. infid.
Aloysius de Marinis, Theatinus, Administr. perpet. Eccl. Vastensis.

Petrus Bostani, Tyrensis et Sidoniensis, rit. maronit.
Ioseph Hippolytus Guibert, Turonensis.
Patritius Leahy, Casseliensis, Administr. perpet. Eccl. Emliensis.
Marinus Marini, *iam* Palmyrensis in part. infid., *nunc* Ep. Urbevetanus.
Gregorius Michael Szymonowiez, Leopoliensis, rit. armen.
Ioachim Limberti, Florentinus.
Caietanus Pace Forno, Rhodiensis in part. infid., Episc. Melitensis.
Philippus Gallo, Patracensis in part. infid.
Petrus Giannelli, Sardianus in part. infid.
Franciscus Pedicini, Barensis.
Michael de Deinlein, Bambergensis.
Petrus Michael Bartatar, Sertensis, rit. chaldaic.
Emmanuel Garcia Gil, Caesaraugustanus.
Thomas Connoly, Halifaxiensis.
Iulianus Floriamus Felix Desprez, Tolosanus.
Franciscus Xaverius Wierzchleyski, Leopoliensis, rit. latin.
Spiridion Maddalena, Corcyrensis.
Gregorius Ebedjesus Khayyath, Amadiensis, rit. chaldaic.
Gregorius Balitian, Aleppensis, rit. armen.
Marianus Barrio y Fernandez, Valentinus.
Leo Korckoruni, Melitenensis Archiep. Ep., rit. armen.
Carolus de la Tour d'Auvergne-Lauraguais, Bituricensis.
Gregorius Martinoz, de Manila.
Petrus Puch y Solona, de Plata.
Cyrillus Behnam Benni, Mausiliensis, rit. syriac.
Benvenutus Monzon y Martins, Granatensis.
Petrus Doimus Maupas, Iadrensis.
Dionysius Georgius Scelhot, Aleppensis, rit. syriac.
Athanasius Ciarchi, Babylonensis, rit. syriac.
Georgius Darboy, Parisiensis.
Pelagius Antonius de Lavastida y Davalos, Mexicanus.
Andreas Casasola, Utinensis.
Ludovicus Dubreil, Avenionensis.
Melchior Nasarian, Mardensis, rit. armen.
Laurentius Bergeretti, Naxiensis.
Martinus Ioannes Spalding, Baltimorensis.
Ioannes Mac Closkey, Neo-Eboracensis.
Ludovicus Haynald, Colocensis et Bacsiensis.
Marianus Escalada, de Buenos Ayres.
Ioannes Paulus Lyonnet, Albiensis.
Henricus Eduardus Manning, Westmonasteriensis.
Paulus Melchers, Coloniensis.
Franciscus Xaverius de Merode, Melitenensis in part. infid.
Aloysius Ciurcia, Irenopolitanus in part. infid., Vic. Ap. Aegypti et Arabiae.
Gualterius Steins, Bostrensis in part. infid., Vic. Apost. Calcuttae.
Aloysius Natoli, Messanensis.
Ioseph Benedictus Dusmet, Catanensis.
Ioseph Cardoni, Edessenus in part. infid.
Aloysius Nazari de Calabiana, Mediolanensis.
Ioannes Landriot, Remensis.
Athanasius Kauam, Tyrensis, rit. graec. melch.
Aloysius Puecher Passavalli, Iconiensis in part. infid.

Victor Bernadou, Senonensis, Episcopus Antissiodorensis.
Anastasius Rodrigo Yusto, Burgensis.
Bernardus Pinol y Aycinena, de Guatimala.
Andreas Ignatius Schaepman, Ultraiectensis.
Ioseph Checa, Quitensis.
Petrus Loza, de Guadalaxara.
Stephanus Stefanopoli, Philipensis in part. infid., rit. graec.
Ioannes Vancsa, Fogarasiensis et Albae Iuliae, rit rumen.
Ioseph Angelini, Corinthiensis in part. infid.
Timotheus Attar, Amidensis seu Diarbekirensis, rit. chaldaic.
Ioannes Lynch, Torontinus.

REVERENDISSIMI DD. EPISCOPI.

Ioannes Petrus Losanna, Bugellensis.
Leonardus Todisco Grande, Asculi et Ceriniolae.
Guillelmus Sillani Aretini, *iam* Tarracinensis.
Gaspar Labis, Tornacensis.
Theodosius Kojungi, Sidoniensis, rit. graec. melch.
Ignatius Bourget, Marianopolitanus.
Laurentius Biale, Ventimiliensis.
Ioseph Maria Severa, Interamnensis.
Fridericus de Marguerye, Augustodunensis.
Franciscus Lacroix, Baionensis.
Aloysius Moreno, Eporediensis.
Franciscus Victor Rivet, Divionensis.
Emmanuel Verrolles, Columbicensis in part. infid., Vic. Ap. Leaotung.
Augustus Allou, Meldensis.
Ludovicus Besi, Canopensis in part. infid.
Stephanus Bagnoud, Bethlemensis in part. infid.
Georgius de Stahl, Herbipolensis.
Carolus Gigli, Tiburtinus.
Andreas Raess, Argentinensis.
Richardus Vincentius Whelan, Wheelingensis.
Eugenius Desflèches, Sinitensis in part. infid., Vic. Ap. Sutchuensis orientalis.
Franciscus Vibert, Maurianensis.
Stephanus Charbonneau, Jassensis in part. infid., Vic. Ap. Maysurii.
Nicolaus Crispigni, Fulginatensis.
Ioseph Gignoux, Bellovacensis.
Ioannes Hilarius Boset, Emeritensis.
Eleonorus Aronne, Montis Alti.
Ioannes Baptista Berteaud, Tutelensis.
Paulus Dupont des Loges, Metensis.
Ioannes Alberti, Syrensis, Vic. Ap. Graeciae.
Ioannes Thomas Ghilardi, Montis Regalis in Pedemontio.
Ioseph Iannuzzi, Lucerinus.
Petrus Severini, Sappensis.
Ioannes Martinus Henni, Milwauchiensis.
Ioannes Doney, Montis Albani.
Salvator Fertitta, Cavensis et Sarnensis.
Ioannes Baptista Montixi, Ecclesiensis.
Petrus Iosephus de Preux, Sedunensis.
Carolus Rousselet, Sagiensis.

Gabriel Grioglio, Euriensis in part. infid.
Aloysius Moccagatta, Zenopolitanus in part. infid., Vicar. Apost. Kantung.
Fidelis Suter, Rosaliensis in part. infid., Vic. Ap. Tunetanus.
Bonaventura Atanasio, *iam* Liparensis.
Philippus Viard, Wellingtoniensis.
Alexius Wicart, Vallis Guidonis.
Ioannes Brady, Pertensis.
Ioannes Pellei, Aquipendiensis.
Iacobus Maria Baillès, *iam* Lucionensis.
Daniel Murphy, Hobartoniensis.
Stephanus Marilley, Lausanensis et Genevensis.
Guillelmus Ullathorne, Birminghamiensis.
Alexius Canoz, Thamassensis in part. infid., Vic. Ap. Madurensis.
Theodorus Forcade, Nivernensis.
Modestus Demers, Vancouveriensis.
Aloysius Maigret, Arathensis in part. infid., Vic. Aposi. Sandwichianus.
Petrus Paulus Trucchi, Foroliviensis.
Franciscus Mazzuoli, S. Severini.
Felix Cantimorri, Parmensis.
Philippus Mincione, Miletensis.
Vincentius d'Alfonso, Pennensis et Atriensis.
Amedeus Rappe, Clevelandensis.
Ioseph Novella, Patarensis in part. infid.
Petrus Vranken, Colophoniensis in part. infid., Vic. Apost. in Batavia.
Ioseph Serra, Dauliensis in part. infid.
Ioannes Derry, Clonfertensis.
Iacobus Goold, Melburnensis.
Eugenius Guigues, Owtawiensis.
Franciscus Gandolfi, Cornetanus et Centumcellensis.
Hilarius Alcazar, Paphensis in part. infid., Vic. Ap. Tunchini orientalis.
Ioannes Balma, Ptolemaidensis in part. infid.
Mauritius de Saint-Palais, Vincennopolitanus.
Iulianus Meirieu, Diniensis.
Laurentius Renaldi, Pineroliensis.
Antonius Ranza, Placentinus.
Ioannes Foulquier, Mimatensis.
Antonius Boscarini, S. Angeli in Vado et Urbaniensis.
Aloysius Vetta, Neritonensis.
Ianuarius Acciardi, Anglonensis et Tursiensis.
Ludovicus Caverot, S. Deodati.
Franciscus Kelly, Derriensis.
Guillelmus Keane, Cloynensis.
Rudesindus Salvado, Portus-Victoriae in Australia, Abbas *nullius* Novae Nursiae.
Livius Parlatore, S. Marci et Bisinianensis.
Felix Dupanloup, Aurelianensis.
Ludovicus Franciscus Eduardus Pie, Pictaviensis.
Ignatius Sellitti, Melphiensis et Rappollensis.
Petrus Simon de Dreux Brézé, Molinensis.
Armandus de Charbonnell, Sozopolitanus in part. infid.
Raphael Bachettoni, Nursinus.
Franciscus Xaverius Petagna, Stabiarum seu Castrimaris.

Guillelmus Emmanuel de Ketteler, Moguntinus.
Petrus d'Uriz y de Labairu, Pampilonensis et Tudelensis.
Ioannes Mac Gill, Richmondensis.
Ioannes Baptista Miége, Messeniensis in part. infid., Vic. Apost. Kansas ad orientem Mantium Saxosorum.
Ioseph Hyacinthus Sohier, Gadarensis in part. infid., Vic. Apost. Cochinchinae septentrionalis.
Hieronymus Verzeri, Brixiensis.
Ioannes Farina, Vicentinus.
Antonius Cousseau, Engolismensis.
Eduardus Iacobus Wedekin, Hildeshemiensis.
Petrus Lacarrière, *iam* Guadalupensis.
Franciscus Allard, Samariensis in part. infid., Vic. Ap. de Natal.
Philippus Fratellini, Forosemproniensis.
Aloysius Margarita, Uritanus.
Ludovicus Pallu du Parc, Blesensis.
Anselmus Llorente, S. Iosephi de Costarica.
Thomas Grant, Southwarcensis.
Guillelmus Turner, Salfordensis.
Iacobus Brown, Salopiensis.
Vincentius Bisceglia, Thermularum.
Ioannes Petrus Mabile, Versaliensis.
Ioannes Valerianus Jirsik, Budvicensis.
Colinus Mac Kinnon, Arichatensis.
Paulus Hindi, Jazirensis, rit. chaldaic.
Aloysius de la Place, Hadrianopolitanus in part. infid., Vic. Ap. Tche-ly septentrionalis.
Ioseph Aloysius Pukalski, Tarnoviensis.
Ioannes Iacobus Guerrin, Lingonensis.
Ioannes Ioseph Longobardi, Andriensis.
Aloysius Sodo, Thelesinus seu Cerretanus.
Bartholomaeus d'Avanzo, Calvensis et Theanensis, Admin. Apost. Eccl. Castellanetensis.
Raphael de Franco, Catacensis.
Franciscus Landeira y Sevilla, Carthaginiensis.
Ludovicus Eugenius Regnault, Carnutensis.
Antonius la Scala, S. Severi.
Theodorus de Montpellier, Leodiensis.
Jesualdus Vitali, Ferentinas.
Aloysius Filippi, Aquilanus.
Iacobus M. Achilles Ginoulhiac, Gratianopolitanus.
Ioseph Caizal y Estrade, Urgellensis.
Ioannes Loughlin, Brooklynensis.
Ludovicus de Goesbriand, Burlingtonensis.
Thaddaeus Amat, Montereyensis et Angelorum.
Augustus Maria Martin, Natchitochensis.
Aemygdius Foschini, Civitatis Plebis.
Vincentius Materozzi, Rubensis et Bituntinus.
Henricus Foerster, Wratislaviensis.
Petrus Aloysius Speranza, Bergomensis.
David Moriarty, Kerriensis et Aghadonensis.
Ignatius Persico, Savannensis.
Vincentius Zubranich, Ragusinus.

Carolus Colina, Tlascalensis.
Hyacinthus Barberi, Neocastrensis.
Ioseph Fanelli, S. Angeli de Lombardis et Bisaciensis.
Aloysius de Agazio, Triventinus.
Felix Romano, Isclanus.
Ioannes Leahy, Dromorensis.
Ludovicus Forwerk, Leontopolitanus in part. infid., vicar. apost. in regno Saxoniae.
Nicolaus Renatus Sergent, Corisopitensis.
Innocentius Sannibale, Eugubinus.
Ioannes Rosati, Tudertinus.
Caietanus Rodilossi, Alatrinus.
Dominicus Zelo, Aversanus.
Franciscus Gallo, Abellinensis.
Franciscus Giampaolo, Larinensis.
Petrus Rota, Guastallensis.
Ioannes Ioseph Vitezich, Veglensis.
Franciscus Roullet de la Bouillerie, Carcassonensis.
Guillelmus Vaughan, Plymuthensis.
Nicolaus Pace, Amerinus.
Ioseph Formisano, Nolanus.
Raphael Morisciano, Squillacensis.
Ioannes Benini, Pisciensis.
Ludovicus Augustus Delalle, Ruthenensis.
Ioseph del Prete Belmonte, Thyatirensis in part. infid.
Ildephonsus Renatus Dordillon, Cambysopolitanus in part. infid., Vic. Ap. Insularum Marchionum.
Vincentius Moretti, Imolensis.
Ioannes Renier, Feltrensis et Bellunensis.
Antonius Ioseph Henricus Jordany, Foroiuliensis et Tolonensis.
Laurentius Gilooly, Elphinensis.
Ioannes Farrel, Hamiltonensis.
Hadrianus Languillat, Sergiopolitanus in part. infid., Vic. Apost. Nankinensis.
Elias Antonius Alberani, Asculanus in Piceno.
Thomas Passero, Troianus.
Henricus de Rossi, Casertanus.
Iacobus Bernardi, Massanus.
Claudius Iacobus Boudinet, Ambianensis.
Marcus Calogerà, Spalatensis et Macarensis.
Conradus Martin, Paderbornensis.
Zephyrinus Guillemin, Cybistranus in part. infid., Praefect. Apost. Hainon in Sinis.
Philippus Vespasiani, Fanensis.
Clemens Fares, Pisaurensis.
Vincentius Gasser, Brixinensis.
Franciscus Marinelli, Porphyriensis in part. infid.
Thomas Furlong, Fernensis.
Ioannes Mac Evilly, Galviensis.
Guillelmus Henricus Elder, Natchetensis.
Guillelmus Iosephus Clifford, Cliftoniensis.
Ludovicus Delcusy, Vivariensis.
Petrus Gérault de Langalerie, Bellicensis.

Petrus Maria Ferrè, Casalensis.
Amandus Renatus Maupoint, S. Dionysii Reunionis.
Ioannes Baptista Scandella, Antinoënsis in part. infid., Vic. Apost. Calpensis.
Petrus Buffetti, Britinoriensis, Admin. Ap. Eccl. Sarsinatensis.
Ioseph Targioni, Volaterranus.
Aloysius Maria Paoletti, Montis Politiani.
Eustachius Vitus Modestus Zanoli, Eleutheropolitanus in part. infid., Vic. Ap. Upensis.
Ioseph de los Rios, Lucensis.
Michael O'Hea, Rossensis.
Patritius Lynch, Carolopolitanus.
Ioseph Maria Papardo del Parco, Sinopensis in part. infid.
Ioannes Petrus Sola, Niciensis.
Cosmas Marrodan y Rubio, Tirasonensis.
Bernardus Conde y Corral, Zamorensis in Hispania.
Franciscus Benavides, Seguntinus.
Ferdinandus Blanco, Abulensis.
Matthaeus Jaume y Garau, Minoricensis.
Paulus Carrion, de Portorico.
Augustinus Verot, S. Augustini.
Franciscus Mac Farland, Hartfordiensis.
Eduardus Horan, Regiopolitanus seu Kingstoniensis.
Carolus Ioannes Fillion, Cenomanensis.
Ignatius Senestrey, Ratisbonensis.
Iacobus Jeancard, Ceramensis in part. infid.
Ioannes Pinchon, Polemoniensis in part. infid., Vic. Ap. Sutchuensis occiduo-septentrionalis.
Franciscus Kerril Amherst, Northantoniensis.
Ludovicus Idèo, Liparensis.
Michael Payà y Rico, Conchensis in Hispania.
Andreas Rosales y Munoz, Almeriensis.
Ioannes Antonius Augustus Belaval, Apamiensis.
Pancratius Dinkel, Augustanus Vindelicorum.
Petrus Cubero y Lopez de Padilla, Oriolensis.
Joachim Lluch, Salmanticensis, Administr. Apost. Civitatensis.
Petrus Tilkian, Brusensis, rit. armen.
Carolus Poirier, Rosensis.
Antonius Maria Valenziani, Fabrianensis et Matilicensis.
Hyacinthus Luzi, Narniensis, Administr. Apost. Eccl. Mandelensis.
Melchior lo Piccolo, Nicosiensis in Sicilia.
Ioannes Guttadauro de Reburdone, Calatanisiadensis.
Ferdinandus Arguelles y Miranda, Asturicensis.
Iacobus Quinn, Brisbanensis.
Antonius Halagi, Artuinensis, rit. armen.
Carolus Macchi, Regiensis in Aemilia.
Aloysius Riccio, Calatinus.
Michael Milella, Aprutinus.
Franciscus Xaverius d'Ambrosio, Muranus.
Andreas Emmanuel Asmar, Zachuensis, rit. chaldaic.
Simon Spilotros, Tricaricensis.
Felix Petrus Fruchaud, Lemovicensis.
Ludovicus Maria Epivent, Aturensis.

Ioseph Lopez Crespo, Santanderiensis.
Ioannes Sweeny, S. Ioannis.
Petrus Pichon, Helenopolitanus in part. infid., Vic. Ap. Sutchuensis meridionalis.
Ioannes Monetti, Cerviensis.
Alexander Paulus Spoglia, Comaclensis.
Aloysius Mariotti, Feretranus.
Valerius Laspro, Gallipolitanus.
Aloysius Lembo, Cotronensis.
Petrus Ieremias Michael Angelus Celesia, Pactensis.
Ambrosius Abdou, Mariamnensis, rit. graec. melchit.
Petrus Mac Intyre, Carolinopolitanus.
Iacobus Rogers, Chathamensis.
Patritius Dorrian, Dunensis et Connorensis.
Petrus Dufal, Delconensis in part. infid., Vic. Ap. Bengalae orientalis.
Bonaventura Rizo, Saltensis.
Ludovicus Faurie, Apolloniensis in part. infid., Vic. Apost. Kouei-Tcheou.
Eugenius O'Connel, Vallispratensis.
Aloysius Antonius dos Santos, Fortalexiensis.
Michael Domenec, Pittsburgensis.
Thomas Grimley, Antigonensis in part. infid., Vic. Ap. promontorii bonae spei.
Antonius de Macedo Costa, Belemensis de Para.
Claudius Theodorus Magnin, Anneciensis.
Emmanuel Ravinet, Trecensis.
Antonius de Vasconcellos Pereira de Mello, Lamacensis.
Gerardus Petrus Wilmer, Harlemensis.
Georgius Butler, Limericensis.
Carolus Theodorus Colet, Lucionensis.
Franciscus Ioseph le Courtier, Montis Pessulani.
Antonius Monescillo, Giennensis.
Henricus Maret, Surensis in part. infid.
Robertus Cornthwaite, Beverlacensis.
Fridericus Maria Zinelli, Tarvisinus.
Aloysius de Canossa, Veronensis.
Benedictus Villamitjana, Derthusensis.
Franciscus Crespo y Bautista, Arcensis in part. infid.
Augustinus David, Briocensis.
Ludovicus Nogret, S. Claudii.
Pantaleon Monserrat y Navarro, Barcinonensis.
Ioseph Fessler, S. Hippolyti.
Mathias Eberhard, Trevirensis.
Ignatius Guerra, de Zacathecas.
Constantinus Bonet, Gerundensis.
Bernardinus Trionfetti, Tarracinensis, Privernensis et Setinus.
Antonius Galecki, Amathuntinus in part. infid., Vic. Ap. Cracoviensis.
Claudius Maria Dubuis, Galvestoniensis.
Nicolaus Conaty, Kilmorensis.
Nicolaus Adames, Halicarnassensis in part. infid., Vic. Ap. Luxemburgensis.
Ioseph Papp-Szilágyi de Illesfalva, Magno-Varadinensis, rit. rumen.
Ioannes Baptista Greith, S. Galli.
Fidelis Abbati, Sanctorinensis.

Ioannes Baptista Ormaechea, de Tulancingo.
Ambrosius Serrano, de Chilapa.
Ioannes Baptista Gazailhan, *iam* Venetensis.
Ioannes Tissot, Milevitanus in part. infid., Vic. Ap. Vizigapatami.
Aloysius Elloy, Tipasitanus in part. infid., Coadiutor Vic. Apost. Oceaniae centralis.
Ioannes Zaffron, Sebenicensis.
Ioseph Nicolaus Dabert, Petrocoricensis.
Petrus Maria Le Breton, Aniciensis.
Ignatius Moraes Cardoso, Pharanensis.
Eugenius Lachat, Basileensis.
Flavianus Matah, Jazirensis, rit. syriac.
Franciscus Andreoli, Calliensis et Pergulanus.
Paulus Micaleff, Tifernatensis.
Antonius Pettinari, Nucerinus.
Ioannes Petrus Dours, Suessionensis.
Aloysius d'Herbomez, Miletopolitanus in part. infid., Vic. Apost. Columbiae britannicae.
Ioseph Salandari, Marcopolitanus in part. infid., Visit. Ap. Moldaviae.
Elias Mellus, Akrensis, rit. chaldaic.
Ioannes Ellios Bet-etme, Episc. Syncellus Patriarchae Syrorum, rit. syriac.
Ioannes Strain, Abilensis in part. infid., Vic. Ap. districtus orient. Scotiae.
Thomas Nulty, Midensis.
Eduardus Dubar, Canathensis in part. infid., Vic. Ap. Tche-ly orientalis.
Edmundus Franciscus Guierry, Danabensis in part. infid., Vic. Ap. Tche-Kiang.
Ioannes Ioseph Faict, Brugensis.
Ferdinandus Antonius Augustinus Dupont, Azotensis in part. infid., Vic. Ap. Siamensis.
Hyacinthus Vera, Megarensis in part. infid.
Gaspar Mermillod, Hebronensis in part. infid., Auxil. Genevensis.
Angelus Kraljevic, Metellopolitanus in part. infid., Vic. Ap. Hercegovinae.
Iacobus Donnelly, Clogheriensis.
Eligius Cosi, Prienensis in part. infid., Coadiutor Vic. Ap. Kantung.
Claudius Maria Dépommier, Chrysopolitanus in part. infid., Vic. Ap. Coimbatourii.
Ioannes Ghiureghian, Trapezuntinus, rit. armen.
Guillelmus Renatus Meignan, Catalaunensis.
Fransciscus Nicolaus Gueullette, Valentinensis.
Stephanus Ramadié, Elnensis.
Raymundus Garcia y Anton, Tudensis.
Hyacinthus Martinez, S. Christophori de Havana.
Henricus Bracq, Gandavensis.
Ioseph Gelabert, Paranensis.
Ioannes Huerta, Puniensis.
Ioseph Moreyra, Ayacuquensis.
Emmanuel del Valle, Huanucensis.
Nicolaus Power, Sareptanus in part. infid., Coadiutor Laonensis.
Laurentius Shiel, Adelaidopolitanus.

Ioannes Ioseph Conroy, Albanensis in America.
Raphael Popoff, Episc. Administr. Apost. Bulgarum.
Stephanus Perez Fernandez, Malacitanus.
Fabianus Arenzana, Calaguritanus et Calceatensis.
Ferdinandus Ramirez y Vasquez, Pacensis in Hispania.
Ioseph Alvez Feijo, S. Iacobi Capitis Viridis.
Emmanuel Ulloa, de Nicaragua.
Ioannes Marango, Tenensis et Miconensis.
Nicolaus Frangipane, Concordiensis.
Augustinus Paulus Wahala, Litomericensis.
Ioannes Lozano, Palentinus.
Antonius Iorda y Soler, Vicensis.
Ioannes Ioseph Williams, Bostoniensis.
Abraham Bsciai, Cariopolitanus in part. infid., rit. copt., Vic. Ap. Coptorum.
Carolus La Rocque, S. Hyacinthi.
Stephanus Israelian, Karputhensis, rit. armen.
Ioannes Hennessy, Dubuquensis.
Eduardus Fitzgerald, Petriculanus.
Bernardus Petitjean, Myriophitensis in part. infid., Vic. Ap. Iaponiae.
Stephanus Melchisedechian, Erzerumiensis, rit. armen.
Carolus Philippus Place, Massiliensis.
Ioannes Baptista Iosephus Lequette, Atrebatensis.
Ioannes Maria Bécel, Venetensis.
Petrus Grimardias, Cadurcensis.
Ioannes Henricus Beckmann, Osnabrugensis.
Ignatius Ordonez, Bolivarensis.
Georgius Dubocowich, Pharensis.
Marianus Brezmes Arredondo, Guadixensis.
Ioseph de la Cuesta y Maroto, Auriensis.
Angelus di Pietro, Nyssenus in part. infid.
Iacobus Chadwick, Hagulstadensis et Novocastrensis.
Ludovicus La Flèche, Anthedonensis in part. infid., Coadiutor Trifluvianensis.
Guillelmus Lanigan, Gulbornensis.
Ioannes Langevin, S. Germani.
Ioseph Aggarbati, Senogalliensis.
Ioseph Maria Bovieri, Faliscodunensis.
ulius Lenti, Nepesinus et Sutrinus.
Thomas Gallucci, Recinetensis et Lauretanus.
Ioannes Baptista Cerruti, Savonensis et Naulensis.
Ioseph Giusti, Aretinus.
Hannibal Barabesi, S. Miniati.
Ioseph Rosati, Lunensis-Sarzanensis et Brugnatensis.
Anselmus Faàli, Grossetanus.
Salvator Angelus Demartis, Galtellinensis-Norensis.
Franciscus Zunnui Casula, Uxellensis et Terralbensis.
Iacobus Jans, Augustanus.
Vincentius Jekelfalusy, Alba-Regalensis.
Franciscus Gros, Tarentasiensis.
Flavianus Hugonin, Baiocensis.
Franciscus Leopoldus de Leonrod, Eistetensis.
Philippus Manetti, Tripolitanus in part. infid., Administr. Apost. Abbatiae *nullius* Sublaquensis.

Conceptus Focacetti, Lystrensis in part. infid., Administr. Ap. Aquipendii.
Amatus Pagnucci, Agathonicensis in part. infid., Coadiutor Vic. Ap. Xen-si.
Caietanus Franceschini, Maceratensis et Tolentinus.
Antonius Maria Fania, Potentinus et Marsicensis.
Andreas Formica, Cuneensis.
Carolus Savio, Astensis.
Laurentius Gastaldi, Salutiarum.
Eugenius Galletti, Albae Pompeiae.
Antonius Colli, Alexandrinus Statelliorum.
Henricus Bendi, *Pistoriensis et Pratensis.*
Benedictus Leo Thomas, Rupellensis.
Ioseph Alfredus Foulon, Nanceiensis et Tullensis.
Felix de Las Cases, Constantinianus et Aipponensis.
Leo Meurin, Ascalonensis in part. infid., Vic. Ap. Bombayensis.
Gabriel Capaccio, Mellipotamensis in part. infid.
Antonius Grech Delicata Dassia Testaferrata, Gaudisiensis.
Ioannes Baptista Callot, Oranensis.
Ioannes Baptista Zwerger, Secoviensis.
Amatus Victor Franciscus Guilbert, Vapincensis.
Dominicus Reynaudi, Aegensis in part. infid., Vic. Ap. Sophiae et Philippopolis.
Cornelius Mac Cabe, Ardagadensis.
Raphael Corradi, Balneoregiensis.
Franciscus Cardozo Ayres, Olindensis.
Philippus Krementz, Varmiensis.
Wenceslaus Achaval, S. Ioannis de Cuyo.
Michael Iacopi, Pentacomiensis in part. infid., Vic. Ap. Agrensis.
Paulus Tosi, Rhodiopolitanus in part, infid., Vic. Ap. Patnensis.
Stephanus Fennelly, Thermopylensis in part. infid., Vic. Ap. Madraspatanus.
Guillelmus O'Hara, Scrantonensis.
Ieremias Shanahan, *Harrisburgensis.*
Michael Heiss, Crossensis.
Bernardus Mac Quaid, Roffensis in America.
Guillelmus Mac Closkey, Ludovicopolitanus.
Tobias Mullen, Eriensis.
Stephanus Vincentius Ryan, Buffalensis.
Iacobus Gibbons, Adramyttensis in part. infid., Vic. Ap. Carolinae septentrionalis.
Ludovicus Lootens, Castabalensis in part. infid., Vic. Ap. de Idaho.
Ioannes Perger, Cassoviensis.
Carolus Bermudez, Popayanensis.
Salvator Magnasco, *Bolinensis in part. infid.*
Ioannes Bagalà Blasini, Cydoniensis in part. infid.
Thomas Gentili, Dionysiensis in part. infid., Coadiutor Vic. Ap. Fokien.
Ivo Maria Croc, Larandensis in part. infid., Coadiutor. Vic. Ap. Tunchini meridionalis.
Georgius Marchih, Catarensis.
Benedictus Sans y Forés, Ovetensis.
Iosephus Maria de Urquinaona, Canariensis et S. Christophori de Laguna.

Vincentius Marquez, de Antequera.
Franciscus Adulphus Namszanowski, Agathopolitanus in part. infid.
Franciscus Laouënan, Flaviopolitanus in part. infid., Vic. Ap. Pundicherii.
Ephrem Naria Garrelon, Nemesinus in part. infid., Vic. Ap. Quilonensis.
Leonardus Mellano, Olympensis in part. infid., Vic. Ap. Verapolytanus.
Christophorus Bonjean, Medensis in part. infid., Vic. Ap. Iaffnensis.
Petrus Nunez, Cauriensis.
Petrus de Lacerda, S. Sebastiani Fluminis Ianuarii.
Callistus Clavigo, Pacensis in Bolivia.
Ignatius Mrak, Marianopolitanus et Marquettensis.
Ioannes Mac Donald, Nicopolitanus in part. infid., Vic. Ap. districtus septentrionalis Scotiae.
Ioannes Baptista Maneschi, Verulanus.
Ioseph Emmanuel Orrego, de Serena.
Gaspar Willi, Antipatrensis in part. infid., Auxiliaris Curiensis.
Gabriel Farso, Mardensis, rit. chaldaic.
Stephanus Lipovniczky de Lipovnok, Magno-Varadinensis, rit. lat.
Sigismundus Kovacs, Quinqueecclesiensis.
Alexander Valsecchi, Tiberiadensis in part. infid.
Timotheus O'Mahony, Armidalensis.
Ioannes Marcellus Touvier, Olenensis in part. infid., Vic. Apost. Abyssiniae.
Carolus Iosephus de Hefele, Rottenburgensis.
Germanus Villavalso, de Chiapa.
Ioannes Barbèro, Dolychensis in part. infid., Vic. Ap. Hyderabad.
Petrus Paulus de Cuttoli, Adiacensis.
Carolus Aemilius Freppel, Andegavensis.
Ioseph Reyne, Guadalupensis.
Emmanuel Restrepo, Pastopolitanus.
R. D. Casimirus Sosnowski, Decanus Ecclesiae Cathedralis Lublinensis, Administrator Apostolicus Dioecesis Podlachiensis in Imperio Russiae[1].

ABBATES NULLIUS DIOECESIS.

Guillelmus de Cesare, Generalis Congr. Virginianae Montis Virginis.
Iulius de Ruggero, Ord. S. Benedicti SS. Trinitatis Cavensis.
Ioannes Chrysostomus Kruesz, Ord. S. Benedicti S. Martini in monte Pannoniae.
Leopoldus Zelii Iacobuzi, Ord. S. Benedicti S. Pauli de Urbe.
Romaricus Flugi, Ord. S. B. Ss. Nicolai et Benedicti Monoeci.

ABBATES GENERALES ORDINUM MONASTICORUM.

Henricus van den Wijmelenberg, Abbas Monasterii S. Agathae Cuykensis, Magister Generalis Ordinis Canonicorum Regularium Ordinis S. Crucis.
Albertus Passeri, Abbas Canonicae S. Agnetis extra Urbis moenia, Vicarius Generalis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium SS. Salvatoris.

1. Hic interfuit Concilio ex speciali Sanctissimi Domini concessione et privilegio, cum nullus ex Poloniae Episcopis in Concilio sederet.

Henricus Schmid, Abbas Monasterii S. Mariae Einsiedlensis Ordinis S. Benedicti, Praeses Congregationis Helvetiae.

Richardus Placidus Burchall, Abbas Monasterii S. Petri Westmonasteriensis Ordinis S. Benedicti, Praeses Congregationis Angliae.

Bonifacius Wimmer, Abbas Monasterii S. Vincentii in Pennsylvania Ordinis S. Benedicti, Praeses Congregationis Americae in Statibus foederatis Americae septentrionalis.

Utto Lang, Abbas Monasterii S. Michaelis Mettensis Ordinis S. Benedicti, Praeses Congregationis Bavariae.

Henricus Corvaja, Abbas Monasterii S. Flaviae Calatanisiadensis Ordinis S. Benedicti, Praeses Congregationis Italiae.

Germanus Gai, Abbas Monasterii S. Praxedis de Urbe, Generalis Congregationis Vallis Umbrosae.

Theobaldus Cesari, Abbas Monasterii S. Bernardi ad Thermas de Urbe, Generalis Ordinis Cisterciensis.

Adamus Adami, Abbas Monasterii S. Benedicti Fabrianensis, Generalis Congregationis Silvestrinae.

Elisaeus Elias, Ordinis S. Antonii, Abbas Generalis Congregationis S. Hormisdae ritus chaldaici.

Basilius Grifoni, Ordinis S. Benedicti, Abbas Monasterii Ss. Andreae et Gregorii in monte Coelio, Vicarius Generalis Congregationis Camaldulensis.

Timotheus Gruyer, Abbas Domus Dei B. Mariae de Trappa, Vicarius Generalis Ordinis Cisterciensis recentioris reformationis in Gallia.

Ephrem van der Meulen, Abbas Montis Olivarum B. Mariae de Trappa, Vicarius Generalis Ordinis Cisterciensis antiquioris reformationis in Gallia.

Benedictus Santini, Ordinis S. Benedicti, Abbas Archicoenobii Montis Oliveti maioris in Hetruria, Vicarius Generalis Congregationis Olivetanae.

MODERATORES GENERALES CONGREGATIONUM ET ORDINUM RELIGIOSORUM.

Alexander Maria Teppa, Praepositus Generalis Congregationis S. Pauli.

Bernardinus Sandrini, Praepositus Generalis Congregationis Somaschae.

Petrus Beckx, Praepositus Generalis Societatis Iesu.

Quiricus Quirici, Rector Generalis Congregationis Matris Dei.

Ioseph a Calasanctio Casanovas, Praepositus Generalis Congregationis Scholarum Piarum.

Franciscus Maria Cirino, Vicarius Generalis Congregationis Clericorum Regularium.

Ioseph Maria Novaro, Vicarius Generalis Congregationis Clericorum Regularium Minorum.

Camillus Guardi, Vicarius Generalis Congregationis Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium.

Vincentius Jandel, Magister Generalis Ordinis Praedicatorum.

Bernardinus a Portugruario, Minister Generalis totius Ordinis Minorum.

Ludovicus Marangoni, Minister Generalis Ordinis Minorum Conventualium.

Ioannes Bellomini, Prior Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini.

Dominicus a sancto Ioseph, Praepositus Generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum.

Ioannes Angelus Mondani, Prior Generalis Ordinis Servorum B. M. V.
Raphael Ricca, Corrector Generalis Ordinis Minimorum.
Benedictus a Virgine, Minister Generalis FF. Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.
Carmelus Patergnani, Generalis Ordinis Hieronymiani Congregationis B. Petri a Pisis.
Victorius Menghini, Generalis Ordinis FF. Poenitentiae.
Franciscus Salemi, Vicarius Gen. Tertii Ordinis Regularis S. Francisci.
Innocentius a sancto Alberto, Vicarius Generalis Ordinis FF. Discalceatorum S. Augustini.
Angelus Savini, Vicarius Generalis Ordinis Carmelitarum Veteris Observantiae.
Ioseph Maria Rodriguez, Vicarius Generalis Realis et Militaris Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum.
Antonius Martin y Bienes, Vicarius Generalis Primi Ordinis SS. Trinitatis.

Post hanc publicam Sessionem plures Patres, sive ob infirmitatem, sive ob Ecclesiarum suarum necessitates, veniam discedendi petierunt, illamque a Congregatione generali obtinuerunt, qua tamen nonnulli usi non sunt.

Allocution du Souverain Pontife :

• Finita Sessione tertia SS. Pontifex Patres ita allocutus est:

,,Videtis, Fratres charissimi, quam bonum sit et iucundum ambulare ,,in domo Dei cum consensu, ambulare cum pace. Sic ambuletis sem- ,,per. Et quoniam hac die Dominus noster Iesus Christus dedit pacem ,,Apostolis suis, et ego, Vicarius eius indignus, nomine suo do vobis pa- ,,cem. Pax ista, prout scitis, expellit timorem. Pax ista, prout scitis, ,,claudit aures sermonibus imperitis. Ah ! ista pax vos comitetur omni- ,,bus diebus vitae vestrae ; sit ista pax vis in morte ; sit ista pax vobis ,,gaudium sempiternum in coelis!"

DOCUMENT XXVI

Procès-verbaux des congrégations générales où fut préparée et acceptée la constitution Dei Filius.

ACTA CONGREGATIONUM GENERALIUM SACROSANCTI CONCILII VATICANI.

(Ex ipsis actis SS. Concilii Vaticani collecta.)

Emi ac Rmi Concilii Patres una cum intimatione primae Sessionis publicae singulis domi dimissa hoc etiam *monitum* acceperunt:

Monitum.

In Congregationibus synodalibus, sive generalibus sive particularibus, Emi et Rmi DD. Cardinales supra rocchetum induent mantelettum et mozzettam coloris rubri vel violacei, juxta temporis qualitatem, prout in libello „Denuntiatio dierum" etc. praescribitur.

Rmi Patres habitu praelatitio ordinario induti accedent, nempe Rmi Patriarchae rocchetto, manteletto et mozzetta violacei coloris, Rmi Primates, Archiepiscopi [et Episcopi] rocchetto et manteletto coloris item violacei, et Rmi Patres regularibus Ordinibus addicti manteletto et mozzeta coloris habitus suae religionis. Rmi Patres ritus orientalis induent vestes ordinarias iuxta morem sui ritus. RR. Abbates regulares utentur habitu praelatitio, quem in sua Congregatione solent adhibere.

Locus, hora et dies singularum Congregationum a R. P. D. Secretario indicentur.

Aloisius Ferrari Protonot. Apost.
Caerem. Praefectus.

E. Secretaria autem Concilii singulis quoque Patribus haec primae Congregationis generalis intimatio missa est:

Intimatio per Cursores facienda, domi quoque dimisso exemplari:

Feria VI. die 10. Decembris 1869, hora nona matutina in aula Concilii habebitur prima oecumenicae Synodi Vaticanae Congregatio generalis, in qua fiet electio Iudicum excusationum, nec non Iudicum querelarum et controversiarum iuxta n. V. Brevis Apostolici d. 27. Novembris, quod die 2. huius mensis Patribus Concilii in Congregatione praesynodali distributum est. Electio fiet per schedulas secretas, ita ut quilibet Patrum in una schedula describat quinque nomina eorum Patrum, quos ipse in Iudices excusationum, in altera autem schedula quinque nomina eorum, quos in Iudices querelarum et controversarium eligendos deliberaverit.

Romae 6. Decembris 1869.

Iosephus Ep. Sancti Hippolyti,
Secretar. Concilii Vatic.

Congregatio prima habita est feria VI. die 10. Decembris 1869. hora 9. ante meridiem in conciliari aula Vaticanae Patriarchalis Basili-

cae, prout indicta fuerat. Interfuerunt sexcenti septuaginta et novem Patres; nempe 43 Cardinales, 9 Patriarchae, 4 Primates, 121 Archiepiscopi, 471 Episcopi, 5 Abbates nullius dioecesis, 12 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, usum mitrae habentes, 14 Generales et Vicarii generales.

R. P. D. Salvator Nobili Vitelleschi, Archiepiscopus Episcopus Auximanus et Cingulanus, missam lectam celebravit. Absoluta missa, Concilii Secretarius et Subsecretarius invitarunt Emos Cardinales Praesides ad locum occupandum Praesidibus destinatum, in quo medii sederunt Emi Cardinales de Luca et Bizzarri, hinc inde Emi Cardinales Bilio et Capalti, absente primo Praeside Emo et Rmo D. Carolo Augusto Cardinali de Reisach, Ep. Sabinensi, qui gravi morbo affectus Concilio intervenire non potuit.

Emus Card. de Luca primi Praesidis munere fungens, omnibus stantibus, recitavit orationem *Adsumus Domine* etc.

Deinde cum sedissent omnes, idem Emus Card. de Luca sic Concilii Patres allocutus est:

„Reverendissimi Patres, in hoc sacro et venerando consessu, qui maiestatem et admirabilem unitatem catholicae Ecclesiae, per totum qua late patet terrarum orbem diffusae, oculis intuentium exhibet, ante vestrum conspectum venimus, mandato Sanctissimi Domini Nostri Summi Pontificis obsequentes. Ipse enim gravissimum nobis officium committere voluit praesidendi Congregationibus generalibus huius Sacrosanctae Vaticanae Synodi.

Si magnitudinem ac difficultates muneris nobis impositi respicimus, sollicito animo nos esse oportet, timentes, ne vires nostrae tantae rei nimium impares evadant.

Verumtamen religio, zelus, doctrina, prudentia ceteraeque virtutes, quibus vos, Reverendissimi Patres, praecellitis, curas nostras profecto levant, ac firmam certamque spem ingerunt fore ut haec tam salutaris actio, collatis studiis ac conspirantibus animis, sancte et feliciter, Deo bene iuvante, usque procedat.

Sancti igitur Spiritus lumine ac virtute adiuti, et hac via et ratione incedentes efficiemus, ut ex hoc Sacrosancto Oecumenico Concilio Vaticano Ecclesia Sancta Dei exspectatos eosque uberrimos colligat fructus.“ (1)

Post haec verba monuit Patres de nominatione a SSmo Domino facta Emorum Cardinalium et Rmorum Patrum, qui Congregationem peculiarem constituant pro recipiendis et expendendis Patrum propositionibus, eamque promulgari per Rmum D. Concilii Subsecretarium mandavit. Nomina haec sunt:

NOMINA

Eminentissimorum ac Reverendissimorum Cardinalium et Reverendissimorum Patrum, ex quibus constat peculiaris Congregatio a SSmo Domino Nostro Pio Papa IX. deputata pro recipiendis et expendendis Patrum propositionibus.

Eminentissimi et Reverendissimi Cardinales:

Constantinus Card. Patrizi.
Camillus Card. di Pietro.

(1) Haec brevis oratio in eadem Synodo Patribus orientalibus, qui latinam linguam non calleant, in eorundem vernaculam versa est a constitutis interpretibus, qui hoc peragunt munus, ubi opus est.

Philippus Card. de Angelis.
Cosimus Card. Corsi.
Sixtus Card. Riario Sforza.
Iosephus Othmarus Card. Rauscher.
Henricus M. G. Card. de Bonnechose.
Paulus Card. Cullen.
Laurentius Card. Barili.
Ioannes Ignatius Card. Moreno.
Raphael Card. Monaco La Valletta.
Iacobus Card. Antonelli.

Reverendissimi Patres.

Gregorius Jussef, Patr. Antiochenus Melchitarum.
Iosephus Valerga, Patr. Hierosolymitanus.
Iosephus Hippolytus Guibert, Archiep. Turonensis.
Alexander Riccardi di Netro, Archiep. Taurinensis.
Marianus Barrio y Fernandez, Archiep. Valentinensis.
Raphael Valentinus Valdivieso, Archiep. S. Iacobi de Chile.
Ioannes Martinus Spalding, Archiep. Baltimorensis.
Franciscus Xaverius Apuzzo, Archiep. Surrentinus.
Alexander Franchi, Archiep. Thessalonicensis.
Petrus Giannelli, Archiep. Sardianus.
Henricus Eduardus Manning, Archiep. Westmonasteriensis.
Victor Augustus Dechamps, Archiep. Mechliniensis.
Conradus Martin, Ep. Paderbornensis.
Petrus Hieremias M. Celesia, Ep. Pactensis.

Dein Emus primus Praeses invitavit Patres ad eligendos Iudices excusationum iuxta Litteras Apostolicas diei 27. Novembris 1869. § V. et schedulas Patrum a Concilii Secretario et Subsecretario cum suis adiutoribus colligendas curavit. Postea idem Emus Praeses iussit fieri distributionem schematis (1) Constitutionis dogmaticae *contra multiplices errores ex rationalismo derivatos*, quod discutiendum erit in generali Congregatione deinceps statuenda.

Cum fieret distributio, initium habuit computatio suffragiorum, quae tamen cum in longum nimis protraheretur, Emi Praesides expeditiorem methodum excogitarunt et Patribus proponendam mandarunt Rmo D. Subsecretario, qui ex ambone haec dixit :

„Rmi Patres, cum computatio et scrutinium suffragiorum nimis in longum protrahatur magno cum temporis dispendio, proponitur ab Emis Praesidibus an placeat, ut hac methodo procedatur : 1° Schedulae omnes iam traditae pro electione Iudicum excusationum, nec non aliae, quae mox colligentur, Iudicum querelarum, coram nobis claudentur, et sigillo obsignabuntur. 2° Computatio vero et scrutinium fiet crastina die coram duobus ex Emis Praesidibus et quinque Patribus promotione antiquioribus, scilicet : primo ex Patriarchis, altero ex Primatibus, tertio ex Archiepiscopis, quarto ex Episcopis, quinto ex Abbatibus. 3° Publicatio scrutinii fiet in proxima generali Congregatione feria III. insequentis hebdomadae. Rogantur Rmi Patres, ut illi, quibus proposita scrutinii methodus placet, assurgant, illi autem, quibus non placet, sedentes maneant.“

(1) Voir ce schema plus haut, document VI, tome I, p. 570.

Undique assurgentibus Patribus, iussu Praesidum vocati sunt Protonotarii Apostolici : Rmi DD. Aloisius Colombo, Ioannes Simeoni, Aloisius Pericoli et Dominicus Bartolini, qui schedulas in urna concluserunt et sigillo obsignarunt. Indicta postea est ab Emo primo Praeside electio quinque Iudicum querelarum, et collectas schedulas iidem Protonotarii concluserunt et obsignarunt.

Ad haec Emus Praeses de Luca iussit fieri distributionem per Protonotarios Apostolicos Constitutionis *de electione Romani Pontificis*, si contingat Sedem Apostolicam vacare durante Concilio Oecumenico.

Peracta distributione, Concilii Subsecretarius iussu Praesidum Patribus annuntiavit proximam Congregationem generalem habendam feria III. die 14. Decembris, in eaque faciendam esse electionem quatuor Deputationum ad tramitem Litterarum Apostolicarum „*Multiplices inter*".

Hora secunda post meridiem Congregatio finem habuit.

Monitum.

Eminentissimi ac Reverendissimi Praesides Congregationum generalium, habita ratione desiderii a pluribus Patribus manifestati, statuerunt, in Congregatione generali, quae habebitur Feria III. die 14. Decembris hora nona matutina, non esse eligendam nisi unam Deputationem, scilicet eam, quae pro rebus ad fidem pertinentibus destinata est.

Romae die 12. Decembris 1869.

Iosephus Ep. S. Hippolyti,
Secretar. Concilii Vatic.

Congregatio secunda habita est feria III. die 14. Decembris hora nona antemeridiana, prout indicta fuerat. Interfuerunt septingenti et undecim Patres, nempe 45 Cardinales, 10 Patriarchae, 4 Primates, 121 Archiepiscopi, 487 Episcopi, 5 Abbates nullius diocesis, 15 Abbates Generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, usum mitrae habentes, 24 Generales et Vicarii generales.

R. P. D. Carolus de la Tour d'Auvergne-Lauraguais, Archiepiscopus Bituricensis, missam lectam celebravit. Post missam, Concilii Secretarius et Subsecretarius invitarunt Cardinales Praesides ad locum occupandum sibi destinatum ; et recitata oratione *Adsumus Domine*, Emus de Luca, qui primi Praesides munere fungebatur, Patribus annuntiavit factum esse in secretaria Concilii scrutinium schedularum pro electione quinque Iudicum excusationum et quinque Iudicum querelarum, illudque ex ambone promulgare iussit Rmum Subsecretarium.

„*Nomina.*

Rmorum Patrum, qui in Iudices excusationum maiori suffragiorum numero electi sunt :

1. Paulus Melchers, Archiep. Coloniensis.
2. Benvenutus Monzon y Martins, Archiep. Granatensis.
3. Ioachim Limberti, Archiep. Florentinus.
4. Ioannes Baptista Landriot, Archiep. Rhemensis.
5. Franciscus Pedicini, Archiep. Barensis."

„*Nomina.*

Rmorum Patrum, qui in Iudices querelarum et controversiarum maiori suffragiorum numero electi sunt :

1. Iosephus Angelini, Archiep. Corinthiensis.
2. Gaspar Mermillod, Ep. Hebronensis.
3. Innocentius Sannibale, Ep. Eugubinus.
4. Ioannes Rosati, Ep. Tudertinus.
5. Antonius Canzi, Ep. Cyrenensis."

Facta deinde distributione folii typis impressi, in quo habebantur nomina Deputatorum a SS. Domino pro recipiendis et examinandis privatis Patrum postulatis sanctae Synodo exhibendis, necnon Iudicum excusationum et querelarum, Emus Praeses de Luca indixit electionem faciendam Deputationis pro rebus fidei ; et collectis schedulis et sigillo obsignatis, prout in prima generali Congregatione actum est, idem Cardinalis Praeses Patribus significavit tradendam ipsis esse a Protonotariis Apostolicis Constitutionem de Censurarum latae sententiae limitatione editam quarto Idus Octobris a SS. Domino.

Facta distributione, Emus primus Praeses dimisit Patres hora undecima, iisque significavit proximam generalem Congregationem pro eligenda altera Deputatione pro rebus disciplinae ecclesiasticae indicendam esse per folium typis impressum.

Intimatio per Cursorem facienda, domi quoque dimisso exemplari.

Feria II. die 20. Decembris 1869. hora nona matutina in Aula Concilii habebitur Congregatio generalis, in qua fiet electio alterius Deputationis pro rebus disciplinae ecclesiasticae, iuxta numerum VII. Brevis Apostolici *Multiplices inter* diei 27. Novembris huius anni. Electio fiet per schedulas secretas, ita ut quilibet Patrum in una schedula describat nomina viginti quatuor Patrum, quos ipse ad eiusmodi Deputationem eligendos censuerit.

E Secretaria Concilii Vaticani die 17. Decembris 1869.

Iosephus Ep. S. Hippolyti,
Secretar. Concilii.

Congregatio tertia habita est feria II. die 20. Decembris hora nona antemeridiana, prout indictum fuerat per folium typis impressum et domi dimissum.

Interfuerunt huic Congregationi septingenti et viginti sex Patres, nempe 45 Cardinales, 10 Patriarchae, 4 Primates, 122 Archiepiscopi, 502 Episcopi, 5 abbates nullius dioecesis, 15 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, usum mitrae habentes, 23 Generales et Vicarii generales.

R. P. D. Maximilianus de Tarnoeczy, Archiep. Salisburgensis et Primas Germaniae, missam lectam celebravit, post quam Concilii Secretarius et Subsecretarius Emos Praesides ad locum suum occupandum invitarunt ; et recitata oratione *Adsumus Domine*, Emus primus Praeses Patribus significavit, factum esse in Secretaria Concilii scrutinium schedularum pro electione viginti quatuor Deputatorum, qui Congregationem pro rebus ad fidem pertinentibus constituant, atque illud ex ambone promulgari iussit.

„Deputatio pro rebus ad fidem pertinentibus.

Peracto scrutinio schedularum, quae exhibitae sunt in Congregatione generali habita feria III. die decimaquarta vertentis mensis, maiori suffragiorum numero inventi sunt electi :

Reverendissimi Patres :

1. Emmanuel Garcia Gil, Archiep. Caesaraugustanus.
2. Ludovicus Franciscus Pie, Ep. Pictaviensis.
3. Patricius Leahy, Archiep. Casseliensis.
4. Renatus Franciscus Régnier, Archiep. Cameracensis.
5. Ioannes Simor, Archiep. Strigoniensis.
6. Andreas Ignatius Schaepman, Archiep. Ultraiectensis.
7. Antonius Hassun, Patr. Ciliciae Armenorum,
8. Bartholomaeus d'Avanzo, Ep. Calvensis et Theanensis.
9. Miecislaus Ledochowski, Archiep. Gnesnensis et Posnaniensis.
10. Franciscus Aemilius Cugini, Archiep. Mutinensis.
11. Sebastianus Dias Larangeira, Ep. S. Petri Fluminis Grandensis Australis.
12. Ignatius Senestrey, Ep. Ratisbonensis.
13. Victor Augustus Dechamps, Archiep. Mechliniensis.
14. Ioannes Martinus Spalding, Archiep. Baltimorensis.
15. Antonius Monescillo, Ep. Giennensis.
16. Petrus Iosephus de Preux, Ep. Sedunensis.
17. Vincentius Gasser, Ep. Brixinensis.
18. Raphael Valentinus Valdivieso, Archiep. S. Iacobi de Chile.
19. Henricus Eduardus Manning, Archiep. Westmonasteriensis.
20. Fridericus Maria Zinelli, Ep. Tarvisinus.
21. Iosephus Cardoni, Archiep. Edessenus.
22. Walterus Steins, Archiep. Bostrensis,
23. Conradus Martin, Ep. Paderbornensis.
24. Iosephus Sadoc Alemany, Archiep. S. Franscisci.

E Secretaria Concilii Vaticani die 17. Decembris 1869.

Iosephus Ep. S. Hippolyti,
Secretar. Concilii.

Deinde idem Emus Praeses electionem Deputationis pro rebus disciplinae ecclesiasticae faciendam esse indixit. Collectis schedulis iisque in urna conclusis et a Protonotariis Apostolicis triplici sigillo obsignatis, Emus Praeses Patres monuit proximam generalem Congregationem ipsis per folium typis impressum indicandam esse. Hora decima cum dimidio dimissa Congregatio est.

Intimatio per Cursores facienda, domi quoque dimisso exemplari.

Feria III. die 28. Decembris hora nona matutina habebitur Congregatio generalis, in qua post collectas schedulas pro electione tertiae Deputationis super rebus Ordinum regularium, audientur Patres, qui de schemate proposito et distributo loqui voluerint, iuxta num. VII. Brevis Apostolici *Multiplices inter* diei 27. Novembris huius anni.

E Secretaria Concilii Vaticani die 21. Decembris 1869.

Iosephus Ep. S. Hippolyti,
Secretar.

Post hanc Congregationem, die 23. Decembris ante meridiem Deputatio Concilii Patrum, constans ex singulorum ordinum senioribus, nempe seniore Patriarcharum, Aloisio Rogerio Antici-Mattei, Patriarcha Constantinopolitano, seniore Primatum, Maximiliano de Tarnoczy, Archiepiscopo Salisburgensi et Germaniae Primate, seniore Archiepiscoporum, Laurentio Pontillo, Archiepiscopo Consentino, seniore Episcoporum,

Ioanne Petro Losanna, Episcopo Bugellensi, seniore Abbatum, Guillelmo de Cesare, Abbate nullius dioecesis, Montis Virginis, Sanctissimum Dominum adiit, ut, Natali Domini et novo anno adventantibus, ei omnium nomine bona omnia adprecaretur.

Congregatio quarta habita est feria III. die 28. Decembris hora nona matutina. Interfuerunt septingenti viginti septem Patres, nempe 45 Cardinales, 10 Patriarchae, 4 Primates, 121 Archiepiscopi, 502 Episcopi, 5 Abbates nullius dioecesis, 16 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 24 Generales et Vicarii generales.

R. R. D. Ioannes Spalding, Archiep. Baltimorensis, missam lectam celebravit, post quam Concilii Secretarius et Subsecretarius Emos Praesides ad locum sibi destinatum occupandum invitarunt; et Emus Praeses, recitata oratione *Adsumus Domine*, Patribus annuntiavit, factum esse in Secretaria Concilii scrutinium schedularum ad quatuor et viginti Deputatos pro rebus ad disciplinam ecclesiasticam pertinentibus eligendos, atque illud ex ambone promulgari iussit:

„Deputatio pro rebus disciplinae ecclesiasticae.

Peracto scrutinio schedularum, quae exhibitae sunt in Congregatione generali habita feria II. die vigesima vertentis mensis, maiori suffragiorum numero inventi sunt electi:

Reverendissimi Patres:

1. Ioannes Mac-Closkey, Archiep. Neo-Eboracensis.
2. Guillelmus Ullathorne, Ep. Birmingamiensis.
3. Ioannes Mac-Hale, Archiep. Tuamensis.
4. Pelagius de Lavastida y Davalos, Archiep. Mexicanus.
5. Pantaleon Montserrat y Navarro, Ep. Barcinonensis.
6. Anastasius Yusto, Archiep. Burgensis.
7. Iulius Arrigoni, Archiep. Lucanus.
8. Franciscus Baillargeon, Archiep. Quebecensis.
9. Paulus Ballerini, Patr. Alexandrinus ritus latini.
10. Claudius Plantier, Ep. Nemausensis.
11. Theodorus de Montpellier, Ep. Leodiensis.
12. Stephanus Marilley, Ep. Lausanensis et Genevensis.
13. Franciscus Xaverius Wierzchleyski, Ep. Leopoliensis ritus latini.
14. Georgius Stahl, Ep. Herbipolensis.
15. Ioannes Ambrosius Huerta, Ep. Puniensis.
16. Carolus Fillion, Ep. Cenomanensis.
17. Ioannes Baptista Zwerger, Ep. Secoviensis.
18. Nicolaus Sergent, Ep. Corisopitensis.
19. Michael Heiss, Ep. Crossensis.
20. Marianus Ricciardi, Archiep. Regiuensis.
21. Leo Meurin, Ep. Ascalonensis.
22. Ioannes Guttadauro di Reburdone, Ep. Calatanisiadensis.
23. Marinus Marini, Archiep. Ep. Urbevetanus.
24. Iosephus Aggarbati, Ep. Senogalliensis.

E Secretaria Concilii Vaticani die 23. Decembris 1869.

Iosephus Ep. S. Hippolyti,
Secretar. Concilii."

Postea Emus Praeses de Luca indixit, electionem Deputationis pro

rebus Ordinum regularium faciendam esse. Collectis schedulis iisque in urna conclusis et a Protonotariis Apostolicis de more obsignatis, Patres monuit, inchoandam esse discussionem propositi schematis *de doctrina catholica contra multiplices errores ex rationalismo derivatos*: „Rmi Patres", inquit, „notum vobis est, iam praeparari locum habendis Congregationibus generalibus magis aptum ; interim vero, ne tempus frustra labatur, inchoanda erit propositi schematis examinatio in hac ipsa aula, cum alius locus nondum sit in promptu. Quatuordecim ex Patribus petierunt sermonem habere de proposito Constitutionis dogmaticae schemate, et R. D. Subsecretarius nomina ex ambone promulget."

Quod exequens Subsecretarius infrascriptorum oratorum notam perlegit, in qua primus omnium erat Emus ac Rmus D. Ioseph Othmarus Card. Rauscher, Archiep. Vindobonensis, cui succedebant alii Reverendissimi Patres hoc ordine: Petrus Richardus Kenrick, Archiep. S. Ludovici, Vincentius Tizzani, Archiep. Nisibenus, Franciscus Xaverius Apuzzo, Archiep. Surrentinus, Vincentius Spaccapietra. Archiep. Smyrnensis, Caietanus Pace-Forno, Archiep. Rhodiensis et Ep. Melitensis, Thomas Connolly, Archiep. Halifaxiensis, Ioannes Vancsa, Archiep. Fogarasiensis et Albae Iuliae rit. rum., Aloisius Moreno, Ep. Eporediensis, Iosephus Georgius Strossmayer, Ep. Bosnensis et Sirmiensis, Iacobus M. Ginoulhiac, Ep. Gratianopolitanus, Ioseph Caixal y Estrade, Ep. Urgellensis, Augustinus Verot, Ep. Savannensis, Laurentius Gastaldi, Ep. Salutiarum.

Quibus nominibus promulgatis, Emus primus Praeses addidit : „Quoniam iuxta num. VII. Litterarum Apostolicarum *Multiplices inter* servandus est dignitatis et promotionis ordo inter Patres, qui loqui petierunt vel petent, idcirco Emus et Rmus Cardinalis Rauscher ad ambonem accedat." Hic igitur primus de schemate illo orationem habuit, deinde ad ambonem successive vocati sunt Archiepiscopus S. Ludovici, Archiepiscopus Nisibensis i. p. i., Franciscus Xaverius Apuzzo, Archiep. Surrentinus, Vincentius Spaccapietra, Archiep. Smyrnensis, Caietanus Pace-Forno, Archiep. Rhodiensis et Ep. Melitensis, Thomas Connolly, Archiep. Halifaxiensis.

Hic Congregatio finem habuit, et Patres hora post meridiem dimissi sunt, intimata a primo Emo Praeside proxima Congregatione generali habenda die 30. Decembris.

Congregatio quinta habita est feria V. die 30. Decembris 1869. hora nona ante meridiem. Interfuerunt sexcenti et novem Patres, nempe 43 Cardinales, 8 Patriarchae, 4 Primates, 110 Archiepiscopi, 403 Episcopi, 6 Abbates nullius dioecesis, 12 Abbates generales et Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 23 Generales et Vicarii generales.

R. P. D. Gregorius Balitian, Archiep. Aleppensis rit. arm., missam lectam celebravit. Absoluta missa, Emi Praesides more solito locum suum occuparunt ; et recitata oratione *Adsumus Domine* continuata est discussio propositi schematis *de doctrina catholica contra multiplices errores ex rationalismo derivatos*.

Emus primus Praeses Patribus annuntiavit prioribus oratoribus et alios accessisse, nempe Emum D. Card. Iosephum Aloisium Trevisanato, Patriarcham Venetiarum, Antonium Hassun, Patriarcham Ciliciae Armenorum, Victorem F. Bernadou, Archiep. Senonensem, Ioannem Doney, Ep. Montis Albani, Iacobum Baillès, Ep. *iam* Lucionensem, Fran-

ciscum Gandolfi, Ep. Cornetanum et Centumcellensem, Conradum Martin, Ep. Paderbornensem, Petrum M. Ferrè, Ep. Casalensem, Augustinum David, Ep. Briocensem, Carolum Io. Greith, Ep. S. Galli.

Locuti sunt Ioannes Vancsa, Archiep. Fogarasiensis et Albaiuliensis rit. rum., Ioseph Strossmayer, Ep. Bosnensis et Sirmiensis, Iacobus Ginoulhiac, Ep. Gratianopolitanus, Ioseph Caixal y Estrade, Ep. Urgellensis.

Hora post meridiem Congregatio dimissa est, intimata proxima Congregatione generali habenda die 3. Ianuarii.

Monitum.

Cum dubitatio quaedam exorta fuerit, monentur Patres, in quarta Deputatione eligenda pro rebus ritus orientalis ea quoque tractanda esse, quae pertinent ad Apostolicas in toto orbe Missiones.

E Secretaria Concilii Vaticani die 31. Decembris 1869.

Iosephus Ep. S. Hippolyti,
Secretar.

Congregatio sexta habita est feria II. die 3. Ianuarii 1870. hora nona ante meridiem. Interfuerunt quingenti nonaginta octo Patres, nempe 39 Cardinales, 7 Patriarchae, 3 Primates, 112 Archiepiscopi, 395 Episcopi, 6 Abbates nullius dioecesis, 12 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum et 24 Generales et Vicarii generales.

R. P. D. Marianus Barrio y Fernandez, Archiep. Valentinus, missam lectam celebravit. Absoluta missa, Emi Praesides locum sibi destinatum occuparunt, et recitata oratione *Adsumus Domine*, Emus primus Praeses de Luca haec Patribus annuntiavit:

„Reverendissimi Patres, notum vobis est, ex quo inchoatum est oecumenicum Vaticanum Concilium, pretiosam in conspectu Domini mortem obiisse quatuor Patres, nempe Emum Cardinalem Carolum de Reisach, Episcopum Sabinensem et primum Praesidem Congregationum nostrarum generalium; Emum Franciscum Pentini, Cardinalem Diaconum S. Mariae in Porticu; Rmum Antonium Manastyrski, Episcopum Presmiliensem latini ritus et Rmum Bernardinum Frascolla, Episcopum Fodianum. Christianae virtutes et praeclara merita erga sanctam Dei Ecclesiam et hanc Apostolicam Sedem, quibus amplissime ornati erant, certam suavemque spem nobis ingerunt iam eorum animas aeterna perfrui requie in osculo Domini, nostrisque favere laboribus sua apud Deum intercessione. Quoniam tamen ea est humanae naturae fragilitas, ut nostris suffragiis adhuc fortasse indigere possint, idcirco eos divinae misericordiae enixe commendare ne omittamus. Simul autem significare Rmis Patribus valde laetamur, in locum defuncti Cardinalis de Reisach, unius ex Praesidibus Congregationum generalium, electum fuisse a SSmo D. N. per litteras Apostolicas datas die 30. elapsi Decembris Emum Cardinalem Philippum de Angelis, Camerarium S. R. E. et Archiepiscopum Firmanum et R. D. Subsecretarius recitet memoratas Litteras Apostolicas."

Hic autem ambonem conscendens eas perlegit.

Recitatis ex ambone his Litteris Apostolicis in forma Brevis, idem primus Praeses significavit Synodo, SSmum D. N. iuxta articulum VII. Constitutionis *Multiplices inter* designasse per duo chirographa data die 29. Decembris Emum Cardinalem Aloisium Bilio, qui praesideat Consilio pro rebus ad fidem pertinentibus, et Emum Cardinalem Prosperum

Caterini, qui praesideat alteri Consilio a Synodo deputato pro rebus ad disciplinam ecclesiasticam pertinentibus (1).

Deinde Subsecretarius, id indicente Praeside, denuntiavit eorum nomina, qui ex peracto scrutinio inventi sunt electi ad componendum Consilium pro rebus ordinum regularium a Synodo deputatum :

„**Deputatio pro rebus ordinum regularium.**

Peracto scrutinio schedularum, quae exhibitae sunt in Congregatione generali habita feria III. die vigesima octava vertentis mensis, maiori suffragiorum numero inventi sunt electi :

Reverendissimi Patres :

1. Franciscus Fleix y Solans, Archiep. Tarraconensis.
2. Andreas Raess, Ep. Argentinensis.
3. Godefricus Saint-Marc, Archiep. Rhedonensis.
4. Ferdinandus Blanco, Ep. Abulensis.
5. Ioannes Derry, Ep. Clonfertensis.
6. Iosephus Benedictus Dusmet, Archiep. Catanensis.
7. Felix Cantimorri, Ep. Parmensis.
8. Iosephus Ignatius Checa, Archiep. Quitensis.
9. Fridericus de Fürstenberg, Archiep. Olomucensis.
10. Carolus Pooten, Archiep. Antibarensis et Scodrensis.
11. Paulus Micaleff, Ep. Tifernatensis.
12. Stephanus Vincentius Ryan, Ep. Buffalensis.
13. Simon-Spilotros, Ep. Tricaricensis.
14. Alexander Angeloni, Archiep. Urbinatensis.
15. Ignatius Moraes Cardoso, Ep. Pharanensis.
16. Franciscus de Leonrod, Ep. Eistetensis.
17. Guillelmus Iosephus Clifford, Ep. Cliftoniensis.
18. Thomas Michael Salzano, Ep. Tanensis.
19. Ioannes Ioseph Faict, Ep. Brugensis.
20. Ephrem M. Garrelon, Ep. Nemesinus i. p. i.
21. Aloisius Nazari de Calabiana, Archiep. Mediolanensis.
22. Georgius Ebedjesus Khayyath, Archiep. Amadiensis rit. chaldaic.
23. Gaspar Willi, Ep. Antipatrensis.
24. Ioannes Thomas Ghilardi, Ep. Montis Regalis in Pedemontio.

E Secretaria Concilii Vaticani die 31. Decembris 1869.

Iosephus Ep. S. Hippolyti,
Secret. Concilii Vaticani."

Hic incepta discussio est, et a Concilii Subsecretario nuntiatum est Patribus, Episcopum Eporediensem Praesidibus significasse, se ultro desistere a proposito sermonem habendi, ne nimis in longum protraheretur discussio.

Postea nuntiati sunt novi oratores inscripti, nempe Iosephus Valerga, Patr. Hierosolymitanus, Io. Baptista Landriot, Archiep. Rhemensis, Victor Aug. Dechamps, Archiep. Mechliniensis, Andreas Raess, Ep. Argentinensis, Thomas M. Salzano, Ep. Tanensis.

De schemate proposito loquuti sunt hi Patres : Augustinus Verot, Ep. Savannensis, Laurentius Gastaldi, Ep. Salutiarum, Iosephus Trevisanato,

(1) Cum autem Eminentissimus Card. Caterini in adversam valetudinem incidisset, huic Deputationi de mandato Sanctissimi praefuit Eminentissimus Card. Hannibal Capalti.

Card., Patr. Venetiarum, Antonius Hassun, Patr. Ciliciae Armenorum, ac hora fere prima post meridiem dimissi sunt Patres, intimata ab Emo primo Praeside proxima Congregatione generali habenda die 4. Ianuarii.

Congregatio septima habita est feria III. die 4. Ianuarii prout indicta fuerat. Interfuerunt quingenti octoginta septem Patres, nempe 41 Cardinales, 7 Patriarchae, 4 Primates, 98 Archiepiscopi, 401 Episcopi, 5 Abbates nullius dioecesis, 8 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum et 23 Generales et Vicarii generales.

Missam lectam celebravit Rmus D. Henricus Manning, Archiep. Westmonasteriensis, qua absoluta Emi Praesides locum sibi destinatum occuparunt. Et recitata oratione *Adsumus Domine,* Emus primus Praeses indixit prosecutionem discussionis propositae, et successive loquuti sunt Patres :

Victor Bernadou, Archiep. Senonensis, Petrus de Dreux-Brézé, Ep. Molinensis, qui scripturam legit nomine Ioannis Doney, Ep. Montis Albani in Gallia, Iacobus Maria Baillès, *iam* Ep. Lucionensis, Franciscus Gandolfi, Ep. Cornetanus et Centumcellarum, Conradus Martin, Ep. Paderbornensis, Augustinus David, Ep. Briocensis, Petrus Ferrè, Ep. Casalensis, Ioannes Baptista Greith, Ep. S. Galli.

Hisce oratoribus auditis Emi Praesides disceptationem interrumpi censuerunt, et primus Praeses significavit Patribus mortem Episcopi Panamensis et novam indixit Congregationem et alteram publicam Sessionem his verbis :

„Antequam huic Congregationi finis imponatur, cum animi nostri dolore significare vobis debemus, Patres Rmi, superiori die defunctum esse R. P. D. Odoardum Vasquez, Episcopum Panamensem : eius memoriam in sanctissimo missae sacrificio vestrae charitati commendamus.

Ex iis Patribus, qui iam veniam et facultatem loquendi petierunt, supersunt adhuc quinque : itaque ad eos audiendos habebitur Congregatio generalis die Sabbati 8. huius mensis Ianuarii, in qua continuabitur discussio schematis propositi.

In festo Epiphaniae Domini nostri die 6. huius mensis erit publica Sessio, quae iam indicta fuit in prima Sessione ; et in ea emittenda est solemnis professio fidei iuxta modum iisdem (Patribus) significandum".

Congregatio octava habita est Sabbato die 8. Ianuarii, in qua interfuerunt sexcenti quindecim Patres, nempe 46 Cardinales, 8 Patriarchae, 3 Primates, 101 Archiepiscopi, 421 Episcopi, 4 Abbates nullius dioecesis, 12 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 20 Generales et Vicarii generales.

Celebrata missa de Spiritu Sancto per Rmum Archiep. Primatem Gnesnensem et Posnaniensem Miecislaum Ledochowski, recitatisque de more precibus, primus Praeses denuntiavit Synodo, Pontificem per chirographum die 4. Ianuarii deputasse Emum Cardinalem Bizzari in Praesidem Consilii pro rebus ad ordines regulares pertinentibus. Inde duo alia schemata Patribus sunt distributa, primum *de Episcopis, Synodis et Vicariis generalibus,* alterum *de Sede Episcopali vacante.*

Dein continuata est discussio propositi schematis *contra multiplices errores* etc. ; et alii novi oratores sunt publicati a Rmo Subsecretario, nimirum : Simon Spilotros, Ep. Tricaricensis, Guillelmus Renatus Meignan, Ep. Catalaunensis, Stephanus Aemilius Ramadié, Ep. Elnensis, Emmanuel Theodorus del Valle, Ep. Huanucensis, Felix de las Cases, Ep. Constantinianus et Hipponensis.

Quatuor oratores locuti sunt : Iosephus Valerga, Patriarcha Hierosolymitanus, qui, ratione exilis vocis, scriptum legendum dedit Rmo Episcopo Cornetano et Centumcellensi, Ioannes Baptista Landriot, Archiep. Rhemensis, Victor Dechamps, Archiep. Mechliniensis, Andreas Raess, Ep. Argentinensis.

Demum cum hora iam nimis processisset et plures adhuc superessent oratores, Emus Praeses monuit Patres, eos audiendos esse in proxima Congregatione, quam dixit habendam feria II. sequentis hebdomadae, die 10. Ianuarii.

Congregatio nona habita est feria II. die 10. Ianuarii hora nona ante meridiem, prout indicta fuerat. Interfuerunt sexcenti duodeviginti Patres, nempe 40 Cardinales, 6 Patriarchae, 3 Primates, 101 Archiepiscopi, 427 Episcopi, 5 Abbates nullius dioecesis, 14 Abbates generales et Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 22 Generales et Vicarii generales.

Missam celebravit Rmus D. Josephus Checa, Archiep. Quitensis, atque septem Patres super schemate proposito *de doctrina catholica* sunt loquuti : Thomas Salzano, Ep. Tanensis i. p. i., Simon Spilotros, Ep. Tricaricensis, Guillelmus Meignan, Ep. Catalaunensis, Stephanus Ramadié, Ep. Elnensis, Emmanuel del Valle, Ep. Huanucensis, Georgius Khayatt, Archiep. Amadiensis Chaldaeorum, Ludovicus Haynald, Archiep. Colocensis et Bacsiensis, Iosephus Papp-Szilagyi de Illesfalva, Ep. Magno-Varadiensis rit. graeco-rumen.

Veniae loquendi, quam obtinuerant, renuntiarunt Felix de las Cases, Ep. Constantinianus et Hipponensis, nec non Paulus Micaleff, Ep. Tifernatensis, qui postremus veniam loquendi petierat, dum superior haberetur Congregatio.

Postea Emus primus Praeses significavit Patribus schema una cum obiectis difficultatibus subiiciendum examini Deputationis pro rebus fidei ; et simul in proxima Congregatione, habenda feria VI. die 14. Ianuarii, procedendum primum esse ad electionem Deputationis pro rebus ritus orientalis, in qua etiam tractanda esse, quae spectant ad apostolicas missiones ; deinde vero inchoandam esse discussionem duorum schematum *de Episcopis etc.* et *de Sede Episcopali vacante.*

. . . .

. . . .

MONITUM.

Mittitur adiectum huic Monito schema (1) primae Constitutionis dogmaticae reformatum, una cum relatione (2) eorum, quae de eo in peculiari Deputatione pro rebus ad fidem pertinentibus deliberata sunt. Feria VI. huius hebdomadae, die 18. currentis mensis, hora nona matutina in Aula Concilii habebitur proxima Congregatio generalis, in qua iuxta num. VII. Decreti diei 20. Februarii a. c. fiet discussio huius schematis reformati. Reverendissimi Patres, qui de eodem schemate loquendi veniam rogare voluerint, dabunt Secretario nomina sua in scripto, cum expressa declaratione, utrum de toto schemate in genere, an de quibusdam eius partibus loqui velint. Initium fiet a discussione generali, et cum haec terminata fuerit, agetur de Prooemio seorsim, et pariter

(1) Documents XVI, tome I, p. 678 et tome II, p. 342.
(2) Document VII, tome I, p. 609.

seorsim de quovis Capite una cum Canonibus, qui ad singula Capita referuntur, iuxta ordinem procedendo.

E Secretaria Concilii Vaticani die 14. Martii 1870.

Iosephus Ep. S. Hippolyti,
Secretar.

Congregatio tricesima habita est feria VI. die 18. Martii h. 9. mat., cui interfuerint sexcenti triginta novem Patres, nempe 41 Cardinales, 7 Patriarchae, 4 Primates, 113 Archiepiscopi, 432 Episcopi, 4 Abbates nullius dioecesis, 15 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 23 Generales et Vicarii generales.

Missam lectam celebravit Rmus D. Carolus Allemand Lavigerie, Archiep. Algerianus. Qua absoluta et recitata oratione *Adsumus*, Emus primus Praeses sic Patres allocutus est : „Rmi Patres, antequam inchoetur discussio schematis reformati *de Fide catholica*, quod hodie examini Patrum propositum est, praemittenda est relatio Iudicum excusationum, qui iuxta Litteras Apostolicas *Multiplices inter* die 27. Novembris 1869. n. V. officio suo functi aliqua ad Congregationem generalem referenda proposuerunt. R. D. Subsecretarius ista ex ambone recitabit.“

Tunc Subsecretarius ambonem ascendens haec perlegit : „Emi Praesides, Emi ac Rmi Patres, Rmus D. Episcopus Adamantinus in Brasilia gravibus ex causis, praesertim ob spirituales ecclesiae suae necessitates impeditus, quominus sacro huic Concilio interveniat, absentiam suam debite excusavit, et procuratorem suum constituit Rmum D. Episcopum S. Sebastiani Fluminis Ianuarii. Iudices excusationum causas absentiae sufficienter probatas censuere.“

Lectione absoluta, Emus primus Praeses dixit : „Rmi Patres, qui absentiam Rmi Episcopi Adamantini inde satis excusatam agnoscunt, surgendo assensum suum manifestent.“

Et surgentibus undique Patribus, Emus primus Praeses addidit : „Excusatio praedicti Episcopi absentis sufficiens agnita est a Congregatione generali.“

Tunc Subsecretarius hanc aliam relationem perlegit :

„Plures Concilii Patres ob urgentes ecclesiarum suarum necessitates, sive spirituales, sive temporales, veniam a Concilio discedendi absque obligatione redeundi petierunt, scilicet Rmi Patres : Georgius Smiciklas, Ep. Crisiensis ruthen. in Croatia, Ioannes Quinlan, Ep. Mobiliensis in Statibus foederatis Americae septentrionalis, Iacobus Etheridge, Ep. Toronensis, Vic. Apost. Guyanae anglicae, Patritius Lynch, Ep. Carolopolitan. in Statibus foederatis Americae septentrionalis, Iacobus Roosevelt Bayley, Ep. Nevarcensis in Statibus foederatis Americae septentr., Aloisius Kobes, Ep. Methonensis, Vic. Apost. Senegambiae, Ioannes MacGill, Ep. Richmondensis in Statibus foederatis Americae septentr., Augustus Maria Martin, Ep. Natchitochensis in Statibus foederatis Americae septentr., Franciscus Baillargeon, Archiep. Quebecensis, etiam ratione infirmitatis gravioris.

Horum omnium causam discedendi, in ecclesiarum suarum necessitatibus sitam, satis fundatam atque probatam agnoverunt Rmi Iudices excusationum, eorumque petitionem exaudiendam suaserunt.“

Huius quoque relationis lectione absoluta, Emus primus Praeses Patribus dixit : „Rmi Patres, postquam causae, ob quas praedicti Episcopi veniam a Concilio discedendi petierunt, Iudicibus excusationum satis fundatae et probatae visae sunt, Rmi Patres, qui has causas sufficere

censent, ut venia discedendi eisdem tribuatur, surgendo assensum suum manifestent."

Surgentibus autem undique Patribus, Emus primus Praeses ait: „Causa discedendi probata est a Congregatione."

Post haec sic Patres allocutus est: „Rmi Patres, discussioni schematis reformati primae constitutionis dogmaticae, quae nunc inscribitur *de Fide catholica*, praemittitur relatio facienda per Rmum D. Ioannem Simor, Archiep. Strigoniensem et Primatem Hungariae, qui nomine Deputationis specialis pro rebus ad fidem pertinentibus exponet viam et rationem, quam ipsa Deputatio secuta est in exequendo munere eidem commisso. Igitur Rmus D. Primas Hungariae ascendat ambonem."

Relatione (1) habita Emus primus Praeses sic Patres allocutus est:

„Rmi Patres, inchoabitur iam examen propositi schematis *de Fide catholica*. Iuxta numerum VII. Decreti diei 20. Febr. discussio fiet primum de schemate generatim spectato, priusquam ad singulas eius partes deveniatur. Ideo cum nunc haec prima discussio generalis incipiat, Rmi Patres, qui veniam loquendi petierunt, se cohibeant intra eos limites, qui per discussionem generalem ex rei natura oratoribus praefiguntur, ne evagentur ad particularia sive in prooemio sive in singulis capitibus aut canonibus contenta, de quibus postea locus erit disserendi, cum successive de prooemio seorsim, ac pariter seorsim de capite primo, seorsim de capite secundo et sic deinceps tractabitur.

Nomina Rmorum Patrum, qui veniam loquendi petierunt, ut animadversiones suas super schemate generatim spectato Congregationi generali proponerent, R. D. Subsecretarius ex ambone recitabit."

Ambonem Subsecretarius ascendens sequentem tabellam perlegit:

„Nomina Rmorum Patrum, qui veniam loquendi petierunt, ut animadversiones suas super schemate generatim spectato Congregationi generali proponerent.

Rmi Patres: Paulus Ballerini, Patriarcha Alexandrinus, Vincentius Tizzani, Archiep. Nisibenus, Vincentius Spaccapietra, Archiep. Smyrnensis, Aloisius Moreno, Ep. Eporediensis, Iacobus Ginoulhiac, Ep. Gratianopolitanus, Thomas Michael Salzano, Ep. Tanensis."

Deinde ad ambonem successive vocati sunt: Patriarcha Alexandrinus, Archiep. Nisibenus, Archiep. Smyrnensis et Ep. Eporediensis. Patriarcha Alexandrinus ad sedem praesidentialem accedens declaravit, se nihil animadvertendum habere super schemate generatim spectato, sed tantummodo super eiusdem particularibus capitibus. Renuntiavit igitur veniae loquendi quam obtinuerat.

Denique per Emum primum Praesidem nuntiatus est obitus Abbatis Praemonstratensis et Praesidis generalis Congregationis Austro-Hungaricae, Hieronymi de Zeidlor, qui die prima Martii decesserat, et Patres sunt dimissi. Dimittens vero Patres sunt dimissi. Dimittens vero Patres addidit Emus primus Praeses:

„Cum hodie ex more solemni SS. Dominus Noster hora meridiana ad visitandam Basilicam S. Petri descendat, Congregatio paulo maturius dimittitur.

Proxima Congregatio generalis habebitur feria III. sequentis hebdomadae, in qua continuabitur discussio generalis, inchoabitur examinatio prooemii eiusdem schematis; ideoque si quis Rmorum Patrum sive super schemate generatim spectato sive super prooemio in specie aliquid

(1) V. t. I, p. 611, Document VIII.

observare necessarium judicaverit, modo praescripto veniam loquendi petet. Finita discussione prooemii suffragia Patrum de eodem exquirentur."

Sic Congregatio clausa est, descendente in Vaticanam Basilicam pro consueta SS. Reliquiarum veneratione ad Stationis indulgentias lucrandas Summo Pontifice, quem Patres comitati sunt.

Congregatio tricesima prima habita est feria III. die 22. Martii, cui interfuerunt sexcenti decem et octo Patres, nempe 42 Cardinales, 7 Patriarchae, 4 Primates, 106 Archiepiscopi, 420 Episcopi, 4 Abbates nullius dioecesis, 12 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 23 Generales et Vicarii generales.

Rmus D. Georgius Ebedjesus Khayath, Archiep. Amadiensis rit. chald., missam lectam celebravit. Qua absoluta et recitata oratione *Adsumus*, Emus primus Praeses hunc in modum Patres allocutus est:

„Rmi Patres, quoniam non omnes Patres, qui in ultima Congregatione locuti sunt, intra materiam propositam se cohibuerunt, idcirco Rmi Patres, qui loqui voluerint, denuo monentur, ut intra limites propositi argumenti se contineant, ne, quantumvis grave id nobis accideret, cogamur vagantes extra materiam discussioni subiectam interrumpere et ad rem de qua agendum est revocare."

Dein subiunxit: „Prosequamur nunc discussionem generalem schematis *de Fide catholica*, de quo praeter Rmos duos Patres, quorum nomina iam nuper publicata fuerunt, alii duo veniam loquendi petierunt, nempe Emus et Rmus D. Fridericus Cardinalis Schwarzenberg, Archiep. Pragensis, et Rmus D. Petrus Kenrick, Archiep. S. Ludovici."

Successive autem ad ambonem vocati sunt: Ep. Gratianopolitanus, Ep. Tanensis, Card. Schwarzenberg, Archiep. S. Ludovici et Ep. Constantiensis, qui durante Congregatione generali veniam loquendi petiit.

Observationibus horum Patrum discussio generalis finita est, et Emus primus Praeses dixit: „Cum nemo amplius de proposito schemate generatim spectato veniam loquendi petierit, ideo salvo iure Deputatorum iuxta n. IX. Decreti diei 20. Febr. huius anni respondendi animadversionibus oratorum si quid respondendum censuerint, nunc transitus fit ad discussionem specialem de prooemio schematis, pro qua nonnulli e Rmis Patribus nomina sua dederunt ex ambone publicanda per R. D. Subsecretarium."

Et ambonem Subsecretarius ascendens sequentem tabulam perlegit:

„Nomina Rmorum Patrum, qui veniam loquendi petierunt, ut observationes in prooemium schematis propositi Congregationi generali subiicerent.

Rmi Patres: Aloisius Moreno, Ep. Eporediensis, Franciscus Gandolfi, Ep. Cornetanus, Petrus de Dreux-Brézé, Ep. Molinensis, Ioseph Georgius Strossmayer, Ep. Bosnensis, Ioseph Caixal y Estradé, Ep. Urgellensis, Petrus M. Ferrè, Ep. Casalensis, Guillelmus Meignan, Ep. Catalaunensis, Salvator Magnasco, Ep. Bolinensis."

Antequam vero discussionis circa prooemium initium fieret, Archiep. Strigoniensis nomine Deputationis pro rebus fidei ad quasdam animadversiones de schemate in genere factas respondit.

Deinde discussio specialis incepta est eiusdem schematis, de cuius prooemio locuti sunt Aloisius Moreno, Ep. Eporediensis, Franciscus Gandolfi, Ep. Cornetanus, Petrus de Dreux-Brézé, Ep. Molinensis, Iosephus Strossmayer, Ep. Bosnensis.

Denique Emus primus Praeses Patres de Congregatione in diem posterum habenda monuit.

Congregatio tricesima secunda habita est feria IV. die 23. Martii, cui interfuerunt quingenti septuaginta unus Patres, nempe 35 Cardinales, 6 Patriarchae, 4 Primates, 92 Archiepiscopi, 397 Episcopi, 4 Abbates nullius dioecesis, 12 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 21 Generales et Vicarii generales.

Missa per Rmum D. Iosephum de Bianchi Dottula, Archiep. Tranensem, celebrata, Emus primus Praeses dixit: „Rmi Patres, Iudices excusationum aliquid Congregationi generali exhibuerunt, quod R. D. Subsecretarius ex ambone publicabit."

Ambonem autem Subsecretarius ascendens sequentem relationem perlegit: „Rmus D. Bonifacius Toscano, Ep. Neo-Pampilonensis, veniam petiit a Concilio discedendi ob gravissimas necessitates suae dioecesis, ex qua iam a mense Iulio praeteriti anni abest. Iudices excusationum officio suo functi causas discedendi satis fundatas atque probatas agnoverunt eiusque petitionem exaudiendam suaserunt."

Tunc Emus primus Praeses interrogavit Patres his verbis: „Rmi Patres, qui hanc causam sufficere consent, ut venia discedendi praedicto Rmo Episcopo tribuatur, surgendo assensum suum manifestent."

Et surgentibus undique Patribus, Emus primus Praeses dixit: „Causa discedendi probata est a Congregatione generali."

Deinde in hunc modum perrexit: „Rmi Patres, prosequamur nunc discussionem prooemii schematis *de Fide catholica*, de quo praeter Rmos Patres, quorum nomina iam in hesterna Congregatione publicata sunt, adhuc unus veniam loquendi petiit, nempe Richardus Whelan, Ep. Wheelingensis. Caeterum antequam discussionem ipsam aggrediamur, necessarium videtur aliquid praemittere. Numero VII. decreti 20. Febr. huius anni praescriptum est, ut in singularum partium discussione semper ab oratoribus proponatur formula expensi schematis periodo vel paragrapho substituenda ac Praesidibus post habitum sermonem exhibenda. Quod cum non ab omnibus in discussione prooemii factum fuerit, futuros oratores graviter admonemus, ut huius rei memores aut formulam substituendam promptam habeant et Praesidibus post sermonem exhibeant aut a loquendo abstineant."

Post haec ad ambonem successive vocati sunt: Joseph Caixal, Ep. Urgellensis, Petrus Ferrè, Ep. Casalensis, Guillelmus Meignan, Ep. Catalaunensis, Salvator Magnasco, Ep. Bolinensis, Richardus Whelan, Ep. Wheelingensis, Ludovicus Haynald, Archiep. Colocensis, Aliosius Filippi, Ep. Aquilanus. Postremi duo veniam loquendi petierunt durante Congregatione.

Postea Emus primus Praeses dixit: „Cum nemo amplius de prooemio schematis propositi veniam loquendi petierit, declaramus discussionem prooemii esse terminatam, salvo iure Deputatorum, si quid respondendum censuerint in proxima Congregatione."

Et addidit: „Iuxta numerum XII. Decreti d. 20. Febr. anni currentis, absoluta super una schematis parte discussione, statim deberet procedi ad suffragia exquirenda, et quidem primum super propositis emendationibus, deinde super integro partis examinatae textu. Ast perpendentes absque dubio et gratius et facilius fore Rmis Patribus suffragia ferre, dum ob oculos habeant emendationes propositas, eaedem typis impressae Rmis Patribus in proxima Congregatione, in qua suffragia exquirentur, ante ipsum actum suffragia ferendi distribuen-

tur. Interim vero ne tempus frustra perdatur, facto verbo cum Sanctissimo, transitus fit ad discussionem primi capitis. Nomina autem Rmorum Patrum, qui veniam loquendi de primo capite schematis propositi petierunt, R. D. Subsecretarius ex ambone publicabit."

Qui ambonem ascendens tabellam perlegit, in qua inscripti erant Rmi Patres: Paulus Ballerini, Patr. Alexandrinus, Franc. Gandolfi, Ep. Cornetanus, Ioseph Caixal y Estradé, Ep. Urgellensis, Petrus Ferrè, Ep. Casalensis, Eduardus Dubar, Ep. Canathensis, Michael Fogarasy, Ep. Transsilvaniensis, Salvator Magnasco, Ep. Bolinensis, Carolus Iosephus Hefele, Ep. Rottenburgensis.

Postea specialis discussio de primo schematis capite est incepta, et locuti sunt Paulus Ballerini, Patriarcha Alexandrinus, Franciscus Gandolfi, Ep. Cornetanus, Ioseph Caixal, Ep. Urgellensis, Petrus Ferrè, Ep. Casalensis, Eduardus Dubar, Ep. Canathensis, Michael Fogarasy, Ep. Transsilvaniensis.

Hic ab Emis Praesidibus interrupta est disceptatio et Congregatio in diem sequentem intimata.

Congregatio tricesima tertia habita est feria V. die 24. Martii h. 9. mat., cui interfuerunt quingenti octoginta sex Patres, nempe 34 Cardinales, 6 Patriarchae, 4 Primates, 64 Archiepiscopi, 409 Episcopi, 4 Abbates nullius dioecesis, 12 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 23 Generales et Vicarii Generales.

Missa celebrata est per Rmum D. Danielem Mac Gettigan, Archiep. Armacanum. Qua absoluta et oratione de more recitata, Emus primus Praeses haec Patribus dixit:

„Rmi Patres, emendationes (1) propositae a diversis Patribus in discussione prooemii typis impressae hodie distribuuntur. Quoniam vero nonnullae earundem aliqua deliberatione et fortasse etiam comparatione cum textu ipso, pro quo substituendae forent, indigere visae sunt, idcirco suffragia de emendationibus et textu prooemii non in hodierna Congregatione, sed in proxime sequenti exquirentur, ut omnia rite expendi possint."

Deinde nomina oratorum, qui praeter iam nuper publicatos veniam loquendi de capite primo schematis *de Fide catholica* petierant, praelecta sunt, nempe Ludovicus Dubreil, Archiep. Avenionensis, Guillelmus Ullathorne, Ep. Birminghamiensis, Guillelmus Clifford, Ep. Cliftoniensis, Matthias Eberhard, Ep. Trevirensis, Stephanus Ramadié, Ep. Elnensis, Laurentius Gastaldi, Ep. Salutiarum.

Deinde continuatur discussio specialis de primo schematis capite, de quo locuti sunt Salvator Magnasco, Ep. Bolinensis, Carolus Iosephus Hefele, Ep. Rottenburgensis, Ludovicus Dubreil, Archiep, Avenionensis, Guillelmus Ullathorne, Ep. Birminghamiensis, Guillelmus Clifford, Ep. Cliftoniensis, Matthias Eberhard, Ep. Trevirensis, Stephanus Ramadié, Ep. Elnensis, Laurentius Gastaldi, Ep. Salutiarum, Paulus Melchers, Archiep. Coloniensis, et Leo Meurin, Ep. Ascalonensis, quorum postremi duo durante Congregatione veniam loquendi petierant. Deinde transitus factus est ad discussionem specialem capitis secundi, et nomina oratorum inscriptorum a Subsecretario praelecta sunt: Paulus Ballerini, Patriarcha Alexandrinus, Marianus Ricciardi, Archiep. Rheginensis, Felix Cantimorri, Ep. Parmensis, Franciscus Gandolfi, Ep. Cornetanus, Aloisius Filippi. Ep. Aquilanus, Ioseph Caixal y Estradé, Ep. Urgellen-

(1) Document IX, tome I, p. 617.

sis, Thaddaeus Amat, Ep. Montereyensis, Petrus Rota, Ep. Guastallensis, Antonius Pettinari, Ep. Nucerinus, Hyacinthus Maria Martinez, Ep. S. Christophori de Havana, Iosephus de la Cuesta y Maroto, Ep. Auriensis, Laurentius Gastaldi, Ep. Salutiarum.

Locuti sunt autem de capite II. schematis: Paulus Ballerini, Patriarcha Alexandrinus, Marianus Ricciardi, Archiep. Rheginensis, Felix Cantimorri, Ep. Parmensis, Franciscus Gandolfi, Ep. Cornetanus. Deinde nomine Deputationis pro rebus ad fidem pertinentibus quaedam animadvertit Emmanuel Garcia Gil, Archiep. Caesaraugustanus.

Denique Patres dimissi sunt, et proxima Congregatio generalis indicta, in qua suffragia exquirerentur de emendationibus prooemii et de ipso etiam integro eius textu.

Congregatio tricesima quarta habita est sabbato die 26. Martii h. 9. mat., cui interfuerunt sexcenti triginta tres Patres, nempe 42 Cardinales, 8 Patriarchae, 4 Primates, 100 Archiepiscopi, 440 Episcopi, 4 Abbates nullius dioecesis, 13 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 22 Generales et Vicarii generales.

Missa celebrata per rmum D. Bernardum Pinnol, Archiep. de Guatemala, Emus primus Praeses in hunc modum Patres allocutus est:

„Rmi Patres, antequam hodie ad actum suffragia ferendi de emendationibus prooemii schematis *de Fide catholica* procedamus, audire oportet eum Rmum Patrem, qui nomine Deputationis pro rebus ad fidem pertinentibus veniam a Praesidibus petiit oratorum difficultatibus et animadversionibus brevi quadam relatione respondendi, ubi etiam de emendationibus propositis agetur. Is autem est Rmus D. Ioannes Simor, Archiep. Strigoniensis et Primas Hungariae. Itaque Rmus Dominus ascendat ambonem''.

Inde Ioannes Simor, Archiep. Strigoniensis, nomine Deputationis de animadversionibusin prooemium schematis de Fide catholica retulit (1), quae quum ab ipso auctore revocatae essent, nullum factum est de iis Congregationis suffragium.

Deinde Emus primus Praeses dixit: „ Rmi Patres, de integro textu prooemii suffragia exquirentur, quum primum a Deputatione pro rebus ad fidem pertinentibus denuo revisum et adaptatum fuerit. Nunc autem prosequemur discussionem capitis secundi huius schematis“.

Quibus dictis, Subsecretarium nomina oratorum publicare iussit. Accesserant autem iam superius dictis (qui erant: Aloisius Filippi, Ep. Aquilanus, Ios. Caixal y Estradé, Ep. Urgellensis, Thad. Amat, Ep. Montereyensis, Petrus Rota, Ep. Guastallensis, Antonius Pettinari, Ep. Nucerinus, Hyacinthus Maria Martinez, Ep. S. Christophori de Havana Iosephus de la Cuesta y Maroto, Ep. Auriensis, Laurentius Gastaldi, Ep. Salutiarum), Paulus Melchers, Archiep. Coloniensis, Philippus Vespasiani, Ep. Fanensis, Henricus Maret, Ep. Surensis, Ioannes Faict. Ep. Gallellinensis-Norensis.

Tum specialis discussio de secundo schematis capite continuata est, et locuti sunt Aloisius Filippi, Ep. Aquilanus, Victor Dechamps, Archiep. Mechliniensis, qui nomine Deputationis pro rebus fidei respondit Episcopo Aquilano, Ioseph Caixal, Ep. Urgellensis, Thaddaeus Amat, Ep. Montereyensis, Petrus Rota, Ep. Guastallensis, Antonius Pettinari, Ep. Nucerinus, Hyacinthus Martinez, Ep. S. Christophori de Havana.

Post haec interrupta disceptatio est et Emus primus Praeses ait: „Rmi

(1) Document X, t. I, p. 622.

Patres, distribuuntur nunc emendationes (1) a Rmis Patribus propositae de capite primo schematis, ut Patres interim eas considerare ac deliberare de iis possint. Ipsa autem suffragia de his emendationibus exquirentur, postquam lata fuerint suffragia de textu prooemii eiusdem schematis. Proxima Congregatio habebitur feria II. sequentis hebdomadae die 28. huius mensis Martii, in qua continuabitur discussio schematis propositi".

Congregatio tricesima quinta habita est feria II. die 28. Martii h. 9. mat., cui interfuerunt quingenti nonaginta et unus Patres, nempe 38 Cardinales, 6 Patriarchae, 4 Primates, 85 Archiepiscopi, 422 Episcopi, 3 Abbates nullius dioecesis, 13 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 20 Generales et Vicarii generales.

Missa per Rmum D. Franciscum Fleix Archiep. Tarraconensem, est celebrata. Deinde Subsecretarius nomina oratorum praelegit, inter quos novi accesserant Theodorus Gravez, Ep. Namurcensis, et Salvator Magnasco, Ep. Bolinensis.

Tum discussio specialis eiusdem II. capitis est continuata, et locuti sunt Ioseph de la Cuesta, Ep. Auriensis, Laurentius Gastaldi, Ep. Salutiarum, Georgius Ebedjesus Khayath, Archiep. Amadiensis, qui durante Congregatione loquendi veniam petierat et cui Eduardus Manning, Archiep. Westmonasteriensis, nomine Deputationis respondit, Philippus Vespasiani, Ep. Fanensis, Henricus Maret, Ep. Surensis. Ioannes Faict, Ep. Brugensis, Salvator Demartis, Ep. Gastellinensis. Archiep. autem Coloniensis et Episcopi Namurcensis et Bolinensis facultati loquendi, quam obtinuerant, renuntiarunt.

Denique distributum est prooemium a Deputatione pro rebus fidei novissime reformatum (2) et proxima Congregatio indicta, in qua suffragia fierent de integro textu prooemii et post relationem nomine Deputationis faciendam de emendationibus quoque primi capitis.

Congregatio tricesima sexta habita est feria III. die 29. Martii h. 9. mat., cui interfuerunt sexcenti viginti Patres, nempe 40 Cardinales, 7 Patriarchae, 5 Primates, 94 Archiepiscopi, 433 Episcopi, 4 Abbates nullius dioecesis, 14 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 23 Generales et Vicarii generales.

Rmus D. Aloisius Ciurcia, Archiep. Irenopolitanus, missam celebravit. Qua absoluta et recitata oratione *Adsumus*, Emus primus Praeses sic Patres allocutus est :

„Rmi Patres, hodie primum suffragia exquirentur de prooemio schematis novissime adaptati *de Fide catholica*, tum vero de emendationibus ad caput primum eiusdem schematis propositis. Quo rectius et ordinatius gravissimus iste actus procedat, iuvabit ea in memoriam revocare, quae iam nuper hac de re monita sunt. Oportet scilicet bene attendere, quod iuxta decretum d. 20. Febr. h. a. num. XIII. tam super textu partis examinatae quam super singulis emendationibus suffragia bis danda sint, ita ut Praesides distinctis vicibus ad surgendum invitent, nempe primum eos, qui textui vel emendationi assentiuntur, deinde eos, qui eidem contradicunt. Praeterea necessarium est ad bonum ordinem, ut Rmi Patres locum in aula Concilii sibi assignatum durante actu ferendi suffragia non relinquant, et ii, qui ad interrogationem a Praeside factam surrexerint, tamdiu stantes maneant, donec satis constet de

(1) Document XI, t. I, p. 626.
(2) Document XVII, t. I, p. 679.

maiori vel minori suffragiorum numero. His praemissis aggrediamur actum suffragia de *prooemio ferendi*. Ipsum prooemium novissime adaptatum a Deputatione pro rebus fidei, in hesterna Congregatione generali distributum, satis omnibus notum est, ita ut lectione non indigeat. Itaque Rmi Patres, qui huic prooemio in ista ultima sua forma assentiuntur, surgant".

Et cum omnes surrexissent, Emus primus Praeses ait: „Evidens est, quod omnes Patres prooemio schematis *de Fide catholica* novissime adaptato consensum praebuerint".

Tum addidit: „Iam vero ii Rmi Patres, qui eidem prooemio novissime adaptato contradicunt ac proinde istud reiiciendum censent, pariter surgant".

Nemo autem surrexit; et idcirco Emus primus Praeses dixit: „Evidens est, quod nullus ex Patribus huic prooemio contradixerit. Hinc declaramus ex utroque actu constare prooemium schematis *de Fide catholica* novissime adaptatum a Concilio approbatum fuisse cunctis suffragiis. Rmi Patres, progrediamur nunc ad emendationes circa I. caput huius schematis propositas, de quibus nomine Deputationis pro rebus fidei relationem facturus est R. D. Vincentius Gasser, Ep. Brixinensis, qua sententiam praedictae Deputationis de singulis his emendationibus, quas Rmi Patres typis impressas prae oculis habent, iudicio Rmorum Patrum submittet. Itaque ambonem ascendat R. D. Vincentius Gasser, Ep. Brixinensis".

Hic igitur relationem (1) habuit, et Patres de animadversionibus suffragia tulerunt. Denique Congregatio in crastinam diem indicta est et Patres dimissi.

Congregatio tricesima septima habita est feria IV. die 30. Martii, cui interfuerunt quingenti septuaginta novem Patres, nempe 31 Cardinales, 6 Patriarchae, 5 Primates, 88 Archiepiscopi, 400 Episcopi, 3 Abbates nullius dioecesis, 14 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 23 Generales et Vicarii generales.

Missa celebrata est per Rmum D. Iulium Arrigoni, Archiep. Lucanum.

Dein relatione (2) per Vincentium Gasser, Ep. Brixinensem, nomine Deputationis facta, suffragia de secunda animadversione in I. caput, quae in hanc Congregationem dilata erant, colliguntur, et transitus fit ad discussionem capitis tertii.

Subsecretarius nomina oratorum inscriptorum praelegit: Paulus Ballerini, Patriarcha Alexandrinus, Ioannes Vancsa, Archiep. Fogarasiensis rit. gr. rum., Franciscus Victor Rivet, Ep. Divionensis, Iosephus Armandus Gignoux, Ep. Bellovacensis, Felix Cantimorri, Ep. Parmensis, Ioseph Caixal y Estradé, Ep. Urgellensis, Petrus Maria Ferrè, Ep. Casalensis, Hyacinthus Maria Martinez, Ep. S. Christophori de Havana, Salvator Magnasco, Ep. Bolinensis, Vincentius Jandel, Magister generalis Ordinis Praedicatorum.

Deinde Emus primus Praeses dixit: „Oportet denuo monere Rmos Patres, ut brevitati sollicite studeant, ne ob nimiam suarum animadversionum prolixitatem vel auditoribus taedium excitent, vel omnino etiam sibi ipsis parum grata signa externa huius taedii attrahant. Praeterea monemus omnes, ut veritatem sectantes charitatem nunquam laedant, dum forte nimio affectu abrepti verbis acrioribus in fratres utun-

(1) Document XII, t. I, p. 630.
(2) Document XII, t. I, p. 644.

tur, quod omnino non possumus permittere, sed casu eveniente illico deberemus inhibere".

Locuti autem sunt de schemate: Paulus Ballerini, Patriarcha Alexandrinus, Ioannes Vancsa, Archiep. Fogarasiensis, Franciscus Rivet, Ep. Divionensis, Ioseph Gignoux, Ep. Bellovacensis, Felix Cantimorri, Ep. Parmensis, Ioseph Caixal, Ep. Urgellensis, Petrus Ferrè, Ep. Casalensis, Hyacinthus Martinez, Ep. S. Christophori de Havana, Salvator Magnasco, Ep. Bolinensis, Vincentius Jandel, Magister generalis Ordinis Praedicatorum, et Paulus Melchers, Archiep. Coloniensis, qui veniam loquendi petierat durante Congregatione.

Deinde Patres dimissi sunt.

Congregatio tricesima octava habita est feria V. die 31. Martii h. 9. mat., cui interfuerunt *quingenti quadraginta duo* Patres, nempe 32 Cardinales, 5 Patriarchae, 5 Primates, 79 Archiepiscopi, 386 Episcopi, 2 Abbates nullius dioecesis, 10 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 23 Generales et Vicarii generales.

Missa per Rmum D. Petrum Doimum Maupas, Archiep. Jadrensem, celebrata, discussio specialis III. capitis *de Fide catholica* continuatur.

Subsecretarius nomina inscriptorum oratorum publicavit. Hi erant: Georgius Errington, Archiep. Trapezuntinus, Benvenutus Monzon y Martins, Archiep. Granatensis, Petrus Doimus Maupas, Archiep. Jadrensis, Felix Dupanloup, Ep. Aurelianensis, Thaddaeus Amat, Ep. Montereyensis, Nicolaus Iosephus Dabert, Ep. Petrocoricensis, Leo Meurin, Ep. Ascalonensis, Iosephus Hefele, Ep. Rottenburgensis.

Omnes successive ad ambonem vocati sunt et post eos Franc. Gandolfi, Ep. Cornetanus, et Ios. Moreyra, Ep. Ayacuquensis, qui durante Congregatione veniam loquendi petierant. Sic de capite III. finita est discussio specialis. Textus (1) primi capitis novissime a Deputatione iuxta emendationes admissas adaptati cum emendationibus (2) II. capitis distributus et dimissa Congregatio.

Congregatio undequadragesima habita est feria VI. die 1. Aprilis, cui interfuerunt quingenti octoginta tres Patres, nempe 35 Cardinales, 6 Patriarchae, 5 Primates, 88 Archiepiscopi, 409 Episcopi, 4 Abbates nullius dioecesis, 14 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 22 Generales et Vicarii generales.

Missa per Rmum D. Cyrillum Behnam Benni, Archiep. Mausiliensem rit. syr., celebrata, de textu integro I. capitis novissime adaptato suffragia lata sunt, et textus a paene omnibus approbatus est, octo Patribus contradicentibus.

Deinde discussio capitis IV. schematis est incepta, postquam Subsecretarius nomina praelegit oratorum inscriptorum, qui animadversiones circa hoc caput Congregationi generali subiicere voluerunt: Ludovicus Dubreil, Archiep. Avenionensis, Fridericus de Marguerye, Ep. Augustodunensis, Franciscus Gandolfi, Ep. Cornetanus, Laurentius Renaldi, Ep. Pineroliensis, Iacobus Ginoulhiac, Ep. Gratianopolitanus, Ioseph Caixal y Estradé, Ep. Urgellensis, Petrus Maria Ferrè, Ep. Casalensis, Petrus Celesia, Ep. Pactensis, Salvator Magnasco, Ep. Bolinensis, Raphael Ricca, Corrector generalis Ordinis Minimorum. Hi omnes successive ad ambonem vocati sunt et post eos Laurentius Gastaldi, Ep.

(1) Document XVII, t. I, p. 685 et 691.
(2) Document XIII, t. I, p. 645.

Salutiarum, Gaspar Mermillod, Ep. Hebronensis, qui durante Congregatione loquendi veniam petierant. Postea Patres sunt dimissi, Congregatione proxima indicta, in qua fierent suffragia de emendationibus capitis II.

MONITUM.

Mittuntur huic folio adiectae emendationes (1) schematis *de Fide catholica* a Reverendissimis Patribus propositae ad *caput III.* cum suis *canonibus.*

Simul vero monentur Reverendissimi Patres, quod de hisce emendationibus tertii capitis eiusque canonum post praeviam relationem suffragia Patrum ferenda erunt feria tertia proxime sequenti.

E Secretaria Concilii Vaticani d. 2. Aprilis 1870.

Iosephus Ep. S. Hippolyti,
Secretar.

Congregatio quadragesima habita est feria II. die 4. Aprilis h. 9. mat., cui interfuerunt sexcenti et octo Patres, nempe 38 Cardinales, 7 Patriarchae, 5 Primates, 93 Archiepiscopi, 427 Episcopi, 3 Abbates nullius dioecesis, 12 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 23 Generales et Vicarii generales.

Missam celebravit Rmus D. Ioannes Mac-Closkey, Archiep. Neo-Eboracensis.

Inde nomine Deputationis Vincentius Gasser, Ep. Brixinensis, de animadversionibus in caput II. factis relationem (2) habuit, et de iisdem usque ad trigesimam quintam Patres suffragia tulerunt. Quibus absolutis, Patres dimissi sunt.

Congregatio quadragesima prima habita est feria III. die 5. Aprilis h. 9. mat., cui interfuerunt quingenti quinquaginta septem Patres, nempe 34 Cardinales, 5 Patriarchae, 5 Primates, 86 Archiepiscopi, 396 Episcopi, 4 Abbates nullius dioecesis, 8 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 19 Generales et Vicarii generales.

Rmus D. Emmanuel Garcia Gil, Archiep. Caesaraugustanus, missam celebravit.

Referente (3) Vincentio Gasser, suffragia de reliquis animadversionibus in caput II. factis lata sunt. Postea Emus primus Praeses Patres in hunc modum allocutus est:

„Quum Iudices excusationum officio suo functi nonnulla exhibuerint, quae sive de Episcopis absentibus legitime excusatis, sive de quibusdam aliis Episcopis discessuris iuxta Litteras Apostolicas *Multiplices inter* diei 27. Novembris 1869. Congregationi generali proponenda sunt, brevis ea de re audienda superest relatio, quam R. D. Subsecretarius ex ambone leget".

Subsecretarius autem ambonem cum ascendisset, eiusmodi relationem Patribus exposuit, his verbis conceptam: „Emi Praesides, Emi et Rmi Patres, duo absentes Episcopi absentiam suam excusarunt, procuratoribus etiam constitutis, nempe: Iacobus Eliani, Archiep. Damascenus rit. syr., tum ob senium, tum ob itineris longinquitatem atque difficultatem; Nicolaus Franciscus Florentini, Ep. Curiensis in Helvetia, ob ae-

(1) Document XIX, p. 358.
(2) Document XIV, t. I, p. 654.
(3) *Ibid.*, t. I, p. 668.

tatem provectam 76 annorum et valetudinem passim infirmam. Iudices excusationum causas absentiae sufficientes et satis probatas censuerunt".

Hac parte relationis lecta, primus Praeses dixit : „Emi et Rmi Patres, qui absentiam utriusque praedicti Episcopi satis excusatam agnoscunt, surgendo assensum suum manifestent".

Et surgentibus undique Patribus, idem primus Praeses ait : „Excusatio praedictorum Episcoporum absentium sufficiens agnita est a Congregatione generali".

Tum R. D. Subsecretarius hanc alteram relationis partem perlegit :

„Aliquot Concilii Patres ex gravioribus causis veniam a Concilio discedendi absque obligatione redeundi petierunt, scilicet Rmi Domini : Agapitus Dumani, Ep. Ptolemaidensis rit. graec. melchit., ob persecutionem in sua diocesi contra catholicos excitatam et morbum graviorem, quo nuperrime laboravit ; Paulus Hatem, Archiep. Aleppensis rit. graec. melchit., ob graves turbas in sua dioecesi exortas et numerum sacerdotum suae dioecesis insufficientem atque etiam ob valetudinis infirmitatem ; Tobias Mullen, Ep. Eriensis in Statibus foederatis Americae septentrionalis, ob spirituales ac temporales ecclesiae suae necessitates ; Ignatius Mrak, Ep. Marianopolitanus et Marquettensis in iisdem Statibus foederatis, ob spirituales ac temporales necessitates suae dioecesis recenter erectae ; Antoninus Monescillo, Ep. Giennensis in Hispania, tum ob valetudinis incommoda tum ob ecclesiae suae spirituales necessitates.

Horum omnium causam discedendi sive in ecclesiarum suarum necessitatibus sive in propria valetudine sitam, satis probatam atque fundatam agnoverunt Rmi Iudices excusationum, eorumque petitionem exaudiendam suaserunt".

Hac altera relationis parte perlecta, Emus primus Praeses iterum Patres allocutus est : „Rmi Patres, postquam causae, ob quas praedicti Episcopi veniam a Concilio discedendi petierunt, Iudicibus excusationum satis fundatae atque probatae visae sunt, Rmi Patres, qui has causas sufficere censent, ut venia discedendi eisdem tribuatur, surgendo assensum suum manifestent".

Et surgentibus undique Patribus, idem primus Praeses ait : „Causae discedendi probatae sunt a Congregatione".

Post haec idem Subsecretarius iussu Emi primi Praesidis sequentem pontificiam concessionem Patribus annuntiavit :

„SSmus Dominus Noster, ut spirituali commodo Rmorum Concilii Patrum omni meliori modo provideret, iisdem benigne veniam concessit, in oratoriis suis privatis feria quinta maioris hebdomadae missam celebrandi, atque etiam sacerdotibus et laicis servitio suo addictis sacram synaxim distribuendi".

Denique indicta est in crastinam diem Congregatio, in qua suffragia erenda de emendationibus tertii capitis.

Congregatio quadragesima secunda habita est feria IV. die 6. Aprilis h. 9. mat., cui interfuerunt sexcenti quatuor Patres, nempe 32 Cardinales, 6 Patriarchae, 4 Primates, 93 Archiepiscopi, 428 Episcopi, 4 Abbates nullius dioecesis, 12 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 23 Generales et Vicarii generales.

Missam lectam celebravit Gualterius Steins, Archiep. Bostrensis. Post quam distribuitur integer textus (1) II. capitis novissime adaptatus, cum

(1) Document XVII, t. I, p. 687 et 693.

folio, quod continebat emendationes (1) tertii capitis prioribus adiungendas.

Tum Conradus Martin, Ep. Paderbornensis, nomine Deputationis de animadversionibus in caput III, factis relationem (2) habuit, atque Patres de iisdem usque ad quinquagesimam tertiam suffragia tulerunt. Denique Congregatio proxima est indicta, in qua suffragia ulteriora ferenda de emendationibus III. capitis.

Congregatio quadragesima tertia habita est feria V. die 7. Aprilis h. 9. mat., cui interfuerunt quingenti viginti septem Patres, nempe 33 Cardinales, 4 Patriarchae, 4 Primates, 78 Archiepiscopi, 371 Episcopi, 5 Abbates nullius dioecesis, 13 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 19 Generales et Vicarii generales.

Missam celebravit Rmus D. Stephanus Stefanopoli, Archiep. Philippensis.

Referente (3) Conrado Martin, Ep. Paderbornensi, Patres deinde de reliquis animadversionibus in caput III. factis, excepto canone quinto, suffragia tulerunt. Demum proxima indicta est Congregatio, in qua suffragia ferenda de capite II. et de emendationibus quarti capitis.

Congregatio quadragesima quarta habita est feria VI. die 8. Aprilis. h. 9. mat., cui interfuerunt quingenti viginti tres Patres, nempe 27 Cardinales, 5 Patriarchae, 4 Primates, 77 Archiepiscopi, 373 Episcopi, 4 Abbates nullius dioecesis, 12 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 21 Generales et Vicarii generales.

Missam celebravit Rmus D. Renatus Régnier, Archiep. Cameracensis. Postea de integro II. capitis textu novissime adaptato suffragia lata sunt, qui approbatus est, fere omnibus Patribus in priore scrutinio surgentibus et nemine in altero scrutinio contradicente.

Deinde referente (4) Conrado Martin, Ep. Paderbornensi, de formula canonis quinti suffragia lata sunt. Posthac Ludovicus Pie, Ep. Pictaviensis, nomine Deputationis de animadversionibus (5) in caput IV. factis relationem (6) habuit, et Patres de iisdem usque ad quadragesimam septimam suffragia tulerunt.

Quibus factis Patres sunt dimissi, proxima Congregatione indicta, in qua suffragia ferenda de textu integro capitis III. et cap. IV. novissime adaptato surgendo vel sedendo, et deinde de tota constitutione per verba *placet* vel *non placet*. Textus capitis III. (7) hac die distributus est, textus IV. capitis (8) Patribus domum missus.

Congregatio quadragesima quinta habita est feria III die 12. Aprilis h. 9. mat., cui interfuerunt quingenti nonaginta octo Patres, nempe 35 Cardinales, 7 Patriarchae, 5 Primates, 93 Archiepiscopi, 416 Episcopi, 2 Abbates nullius dioecesis, 16 Abbates generales sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 24 Generales et Vicarii generales.

(1) Document XIX, t. II, p. 358.
(2) Document XX, p. 371.
(3) *Ibid.*, p. 381.
(4) *Ibid.*, p. 394.
(5) Document XXI, p. 396.
(6) Document XXII, p. 403.
(7) Document XVII, t. II, p. 343 et 353.
(8) Document XVII, p. 347 et 355.

Missa celebrata est per Rmum D. Raphaelem Popow, Ep. Bulgarorum. Inde referente (1) Ludovico Pie, Ep. Pictaviensi, de ultimis animadversionibus in conclusionem capitis IV. factis, Patres, qui per cursorem domi moniti erant, hanc conclusionem iterum esse proponendam, suffragia tulerunt. Postea de capite III. et capite IV. Patres suffragia tulerunt. In primo suffragio de III. capite fere omnes surrexerunt, et in altero suffragio nemo surgendo contradixit. Item in primo suffragio de IV. capite longe maior pars surrexit, et in altero suffragio nonnisi unus aut alter surgendo contradixit.

Denique, iussu Praesidis Emi Cardinalis De Angelis, Concilii Subsecretarius ambonem conscendens super integra constitutione *de Fide catholica* (2) nominatim singulos Patres iuxta dignitatis et promotionis ordinem rogavit, quorum 510 absolute *Placet* responderunt, 85 *Placet iuxta modum*, id est, conditione aliqua adiecta, quam scripto illico tradiderunt, nemo vero *Non Placet* dixit.

Congregatio quadragesima sexta habita est feria III. die 19. Aprilis h. 9. mat., cui interfuerunt quingenti sexaginta Patres, nempe 35 Cardinales, 7 Patriarchae, 4 Primates, 84 Archiepiscopi, 394 Episcopi, 3 Abbates nullius dioecesis, 12 Abbates sive Praesides Congregationum ordinum monasticorum, 21 Generales et Vicarii generales.

Missa per Rmum D. Andream Casasola, Archiep. Utinensem, celebrata, obitus Emi Cardinalis Gonella, Archiep. Viterbiensis, et Raphaelis Biale, Ep. Albiganensis, nuntiatus est.

Postea Emus primus Praeses haec Patribus significavit : „Quum Iudices excusationum officio suo functi aliqua exhibuerint, quae iuxta Litteras Apostolicas *Multiplices inter* diei 27. Novembris 1869. num. IX. Congregationi generali proponenda sunt, brevis ea de re audienda est relatio, quam R. D. Subsecretarius ex ambone recitabit".

Tunc ambonem Subsecretarius ascendens sequentem relationem perlegit : „Emi Praesides ac Rmi Patres, aliquot Concilii Patres ex gravibus causis veniam a Concilio discedendi petierunt, scilicet : Eduardus Iacobus Wedekin, Ep. Hildeshemiensis, ob graviora salutis incommoda in aetate iam provecta ; Ioannes Derry, Ep. Clonfertensis in Hibernia, ob diutinam gravemque infirmitatem ; Petrus Bigandet, Ep. Ramathensis, Vicarius Apostolicus Birmaniae, ob continuas suas infirmitates et gravia pericula rei christianae imminentia in vicariatu Apostolico sibi commisso ; Franciscus Mac Farland, Ep. Hartfordiensis in Statibus foederatis Americae septentrionalis, propter continuam suam infirmitatem ; Ioannes Sweeny, Ep. s. Ioannis Neo-Brunwicensis, et Iacobus Rogers, Ep. Chathamensis in eadem provincia Canadae in America septentrionali, ob gravissimas necessitates utriusque dioecesis recenter erectae ; Andreas Rosales y Munoz, Ep. Almeriensis in Hispania, ob gravem atque inveteratam infirmitatem, cui quotannis adhibitis thermis subvenire debet.

Porro Iudices excusationum allegatas discedendi causas satis fundatas atque probatas agnoverunt, atque praedictorum Episcoporum petitionem exaudiendam suaserunt".

Relatione expleta, Emus primus Praeses dixit : „Postquam causae, ob quas praedicti Episcopi veniam a Concilio discedendi petierunt, Iudicibus excusationum satis fundatae atque probatae visae sunt, Rmi Patres,

(1) Document XXII, p. 411.
(2) Document XVII, t. I, p. 679 et t. II, p. 343.

qui has causas sufficere censent, ut venia discedendi eisdem tribuatur, surgendo assensum suum manifestent".

Et surgentibus undique Patribus idem Emus Praeses subiunxit: „Causae discedendi probatae sunt a Congregatione generali".

Inde Vincentius Gasser, Ep. Brixinensis, de exceptionibus et conditionibus (1), quas complures Patres in superiore Congregatione generali suo *Placet* adiecerant, nomine Deputationis relationem (2) habuit: duas Patribus acceptandas proposuit, quas unanimici fere consensu approbarunt. Denique Subsecretarius monitum (3) Secretarii ex ambone legit, quo Patres de proxima publica Sessione die 24. Aprilis habenda edocentur.

(1) Document XXIII, t. II, p. 414.
(2) Document XXIV, p. 431.
(3) *Ibid.*

DOCUMENT XXVII

Extraits des Procès-verbaux des séances de la Députation de la Foi, où fut préparée la Constitution Dei Filius.

Il existe aux Archives du Concile du Vatican deux exemplaires des procès-verbaux des séances de la Députation de la foi. L'un a été écrit aux séances mêmes, par le secrétaire de la Députation. L'autre a été rédigé d'une autre main, après les séances. Il existe du reste très peu de différences entre les deux. Le R. P. Granderath a obtenu la permission de prendre dans ces procès-verbaux, ce qu'ils contiennent de notable, en taisant les noms propres. Il en a extrait les propositions d'amendements et les discussions relatives aux Constitutions *Dei Filius* et *Pastor Æternus*. C'est d'ailleurs, dit-il (*Acta*, col. 1646), tout ce qu'ils renferment d'un peu important. Ce sont ces extraits que nous reproduisons. Le P. Granderath s'est aussi servi du journal personnel d'un père de la Députation de la foi ; mais relativement aux séances dont il est question ici, il n'y a que des points très secondaires sur lesquels il ait emprunté des renseignements à ce journal. Ce sont sans doute les renseignements connus d'ailleurs qu'on va lire en tête de ce document XXVII. Ce sont aussi les dates de la quatrième et de la vingt-cinquième séance, que le journal place au 3 mars et au 7 avril, tandis que les procès-verbaux officiels les placent au 2 mars et au 8 avril.

Sessio I. habita est 7. Ianuarii 1870. — In aliqua palatii Vaticani aula Patres congregantur ac secundum ordinem dignitatis et promotionis sedent.

Eminentissimus Praeses quaestiones proponit :

1° Utrum schema de doctrina catholica omnino reiiciendum, an quoad substantiam retinendum sit.

2° Utrum schematis forma mutanda sit necne et quomodo mutanda.

Patres uno consensu respondent, *schematis substantiam* retinendam esse, quum in eo doctrina catholica vere ac genuine sit exposita, et errores, qui in eo damnentur, non solum per Germaniam, sed etiam per alias regiones grassentur. Quae contra illud allata sint, non ita magni esse momenti ; melius sine magno temporis dispendio vix confici posse, contra quod novae querelae non excitentur.

Etiam in eo consentiunt omnes, quaedam adiicienda, alia omittenda esse. Deliberabant inter se, num in schemate aliquid de approbatione editionis Vulgatae, de indifferentismo, spiritismo, darwinismo, de iis, qui cum peccato originali decederent, de resurrectione mortuorum, de duabus Christi naturis esset addendum. Ea putabant omitti debere, quibus liberae scholarum opiniones laederentur. Unus vel duo censebant, etiam ea esse omittenda, quae a prioribus Conciliis iam definita et reiecta essent, contra quos animadvertebatur, errores iterum excitatos, iterum damnandos esse ita, ut prioris condemnationis fieret mentio. Animadversum etiam est ab uno, a condemnandis erroribus abstinen-

dum et solum doctrinam christianam exponendam esse, quum hoc pro Christianis sufficiat, anathemata autem ab iis, qui Christiani iam esse nolint, non curentur. Id commendari Ecclesiae antiquae exemplo, quae errores exterorum non curaverit. Verum id non placuit. Esse, quibus multum prosint anathemata. Inter hos esse praesertim fidelium magistros, pro quibus maxime decreta fidei condantur, ut ab erroribus praemuniantur et doctrinam fidei accuratius cognoscant, neve fidelibus loco veritatis venenum falsae doctrinae propinent. Errores latius esse diffusos, quam ut ab eorum damnatione abstineri possit; porro eominus ab ea abstinendum esse, quod iam ab Apostolis et per saecula deinceps consecuta a Patribus etiam errores Gentilium, Iudaeorum, Mohamedanorum impugnati et, imprimis, quando commiscebantur cum doctrina christiana, in Conciliis saltem particularibus condemnati sint.

Ad alteram quaestionem etiam unanimi consensu respondent Patres, *formam schematis* mutandam esse. Volunt omnes, expositionem doctrinae Catholicae ubique damnationi errorum esse praemittendam. Perspicuitati et brevitati esse consulendum, quantum fieri possit. Curandum esse, ut dicendi ratio tranquilla sit, ut, quod scholam sapiat, eliminetur, ut verba aspera vitentur atque argumenta brevius proponantur. Praeter alia etiam in deliberationem venit, utrum Constitutio in plures dividenda sic necne. Aliis aliud placebat; complures, quae proponebant systemata, scripto se allaturos promiserunt. Nihil certi statutum est. Voluerunt, theologum, qui ultimam manum schemati admovit, de eo proxima Sessione disserere, atque tres Deputationis Patres ab Emo Praeside eligi, quibus opus reformandi schematis mandetur.

Praeterea in hac Sessione quaerebatur, num orationes in Congregationibus generalibus habitae typis imprimendae et inter Patres Deputationis distribuendae essent. Alii aliud sentiebant. Denique visum est, orationes non esse imprimendas integras, sed sufficere quamdam earum synopsin. Quum enim tam multa, quae sub secretum Pontificium caderent, iam in ephemeridibus vulgarentur, timendum erat, ne integrae ederentur orationes, si typis impressae essent.

Sessio II. habita est d. 11. Ianuarii. — Qui schema denuo elaborent, designati sunt ab Emo Praeside Mechliniensis, Pictaviensis, Paderbornensis. Paderbornensi Episcopo ab aliis duobus opus perficiendum committitur.

Iubentur praeterea in hac Sessione theologi synopsin analyticam orationum, quae de schemate illo habitae erant, conficere. Tandem audiebatur theologus Pontificius, P. Franzelin S. I., de schemate, eius ordine, fine, stylo disserens.

Sessio III. habetur 1. Mart. — Revmus Paderbornensis ab aliquo theologo adiutus schema ita reformaverat, ut novum schema novem capitibus cum suis canonibus totam materiam prioris schematis complecteretur. Eius prior pars (quatuor capita cum prooemio) in hac Sessione proponitur (1), et Revmus Episcopus Paderbornensis explicat, quae principia deputatio specialis in schemate reformando sit secuta.

Dixit, se in omnibus id spectasse, ut votis Revmorum Patrum in Congregationibus generalibus propositis satisfieret. Substantiam schematis servatam et, quantum fieri potuerit, ipsa verba retenta esse; hinc inde, quod in priori schemate in notis additum, seu implicite dictum sit, in textum translatum et explicite enuntiatum esse.

(1) Document XV, t. I, p. 678 et t. II, p. 342.

Quoad formam, inscriptiones, quae offendebant, esse mutatas, capita doctrinae ad pauciora redacta, in omnibus initium factum esse ab expositione doctrinae, condemnationem errorum in canones in fine adiectos translatam, brevitati, quantum fieri potuerit, consultum, stylum simpliciorem, clariorem, puriorem adhibitum esse.

Quae quum exposita essent, schema examinari coeptum est. De solo *prooemio* disseritur, *quod omnibus Patribus probabatur*. Unus tamen petebat, ut contraheretur, alter, ut ampliaretur. Praeterea scripto proposita sunt haec:

Deleantur loci „Hinc... propagando", a p. 3. lin. 12. usque ad p. 4. lin. 2. et „Manifestum... nitantur" p. 4. a lin. 11. usque ad lin. 34.

Pag. 3. lin. 2. et 3. loco „Ecclesiae suae dilectae... adfuturum" ponatur „cum Ecclesia sua dilecta... futurum".

Lin. 2. ibid. ad „Ecclesiae suae dilectae" addatur „docenti, regenti, atque sacra administranti" vel „docenti".

Ibid. lin. 4.—7. loco „quemadmodum..." ponatur „idcirco ei docenti assistere, praelianti auxiliari, periclitanti subvenire nullo unquam tempore destitit".

Alius vult, ibid. ante „quemadmodum" poni „eapropter", alius, ibid. dici „ei semper assistere".

Ibid. lin. 6. loco „fortunare" ponatur „benedicere" et ibid. ad „laboresque" addatur „eius".

Ibid. lin. 7. omittatur „etiam".

Ibid. lin. 10. loco „sine intermissione" ponatur „indesinenter". Alius vult, deleri illud „sine intermissione".

Ibid. lin. 8. post „factum est" legatur „ut ex Sanctae huius Sedis Apostolicae sollicitudine et ex oecumenicis omnibus Conciliis, nominatim..."

Ibid. lin. 12. loco „provenerunt " ponatur „consecuti sunt".

Ibid. lin. 13. loco „uberius..." ponatur „pressius definita et uberius exposita".

Ibid. lin. 15. post „firmata" ponatur „ex quo". Alius vult, poni tantum „sanctius firmata".

Ibid. loco „restituta" ponatur „instaurata".

Ibid. lin. 17. loco „frequentia" ponatur „frequentatio".

Ibid. lin. 18. loco „capite" ponatur „capite Ecclesiae", lin. 19. loco „societas et unio" ponatur „*communio*"; alius vult poni „*unio*".

Ibid. lin. 20. loco „ampliata" ponatur „uberior" et ibid. post „aucta" addatur „illius".

Ibid. lin. 22. proponitur, ut „multiplicatae religiosorum familiae" tamquam consectarium ampliatae foecunditatis describatur.

Ibid. lin. 23. loco „instituta" ponatur „splendida indicia".

Ibid. lin. 16. ponatur „Clericorum in scientia, et pietate populique in doctrina Christiana institutio magis exculta".

Ibid. lin. 17. post „frequentia" addatur „quies et sanctitas familiarum a labe matrimoniorum clandestinorum vindicata".

Pag. 4. — Lin. 3. „Verumtamen" delendum. Alius proponit: „*Verum dum haec permulta bona recolimus: acerbum...*"

L. 3. loco „per... oecumenicam Synodum" ponatur „per Romanos Pontifices et oecumenicam..." Alius vult, illud „per... Synodum" prorsus deleri.

L. 6. „nihilominus" deleatur.

L. 8.—10. „quod... neglexerunt" delendum. Alius notat, illud „neglexerunt" non quadrare in Protestantes.

Alius: loco „contempserunt" et „neglexerunt" ponatur „contempserint" et „neglexerint".

Alius: post „multi" ponatur „Supremae S. Petri Cathedrae et sacrosanctae..."

L. 11. „omnibus" delendum. Alius vult scribi: „Hinc evenit, quod omnibus quidem notum est, ut haereticae..."

L. 12. post „quas" ponatur: „Sancta Sedes Apostolica et Tridentinum Concilium."

L. 13. „sectulas" omittatur.

L. 14. „concertantibus" deleatur.

L. 16. loco „Tum" ponatur „Exinde".

L. 17-19. loco „ad quae, tanquam ad... appellabatur" ponatur „quae tanquam... appellabant".

Alius vult addi „ab ipsis Ecclesiae hostibus".

Alius poni vult: „contemplamur, quae a Concilii Tridentini tempore ad nostram usque aetatem orta sunt atque invaluerunt; quaeque inde orta sunt, quod nimis multi contempta illius Synodi auctoritate liberum examen qua regulam in rebus religionis statuerunt ac secuti sunt. Cui ignotum est haereticas sectas huic principio insistentes..."

Alius: „haereticas sectas, quas Tridentini Patres damnaverunt, cum illis commune principium esset, spiritum privatum uniuscuiusque iudicem supremum esse in rebus religionis, nullo modo impedire potuisse, quominus earum asseclae eodem iure, quo haeresiarchae veritates ab Ecclesia Catholica propositas respuerunt, et ipsi placita sectae, cui erant addicti, respuerent, ex quo de negatione in negationem plurimi progressi, usque ad subvertenda prima religionis non solum Christianaei, sed etiam naturalis decreta pervenerint."

L. 22 loco „vulgatissima" ponatur „nimis vulgata".

L. 26 loco „Servatoris" ponatur „Salvatoris".

L. 27. loco „domino subtractis" ponatur „legi omnino subtractis".

L. 31. loco „barathrum" ponatur „abyssum".

L. 35 „impune" deleatur. Loco „circumquaque" ponatur „late"; alius vult poni „omni impietate".

L. 36. „Fieri non potuit" deleatur. Alius vult poni „contigit, ut", alius addi „imprimis", alius „Hac porro impietate late grassante, haud pauci etiam Ecclesiae Catholicae filii labe erroris infecti, a via veritatis aberrarunt, quippe qui naturam et gratiam Christi commiscentes depravant verum sensum . . . et integritatem. . . in periculum adducunt".

L. ultima. loco „enim" ponatur „etenim".

L. 34 addatur: „Ita proh dolor! factum est, ut iam ipsa societas humana in rebus privatis aeque ac publicis vacillet, quia aedificantes reprobaverunt lapidem angularem, fundamentum, praeter quod poni non potest aliud, Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum, Salvatorem mundi."

Lin. ult. loco „Variis etc." ponatur „Nam per varias et peregrinas doctrinas vera ac genuina idea religionis supernaturalis penes ipsos obnubilari coepit, ipsique..."

L. 37. post „filii" addatur: „sollicitam Apostolicae Sedis vocem misere negligentes."

Pag. 5. l. 7. loco „Quibus..." ponatur „Ad quorum omnium aspectum. . ."

L. 10. loco „pervenire" ponatur „venire".

L. 15. addatur „bonos confirmare illisque in viam perfectionis animos addere“.

L. 23. post „quum“ inseratur „inhaerentes vestigiis Praedecessorum Nostrorum“.

L. 29. pro „immutabiliter custoditum et expositum“ponatur „integre custoditum et genuine expositum“.

Alius vult poni „*immutabiliter custoditum et pro orta occasione fideliter expositum*“. Alius „immutabiliter custoditum et iugiter expositum“ poni vel „expositum“ deleri vult.

L. 29 post „insistentes“ addatur „regulae in Ecclesia semper observatae et a Synodo Tridentina (Sess. 4.) diserte exhibitae, videlicet Dei verbo scripto et tradito“.

L. 22 sqq. loco „Nos. . .“ ponatur „Nos itaque. . . munere nunquam equidem veritatem Catholicam . . . destitimus, ast id sollemnius efficaciusque praestituri, Iesu Christi doctrinam supra memoratis erroribus adversam aut in periculum adductam profiteri, declarare, ipsorumque errorum expressa proscriptione ac damnatione corrobare constituimus“.

Sessio IV. habetur 2. Mart. — Postquam Spiritus sanctus invocatus et praecedentis Sessionis *protocollum* praelectum est — id, quod initio Sessionum solebat fieri —, Revmus Paderbornensis de emendationibus, quae in prooemium erant propositae, retulit.

Omnibus persuasit, emendationes supra tribus primis locis propositas non esse admittendas.

Emendationem quarto (l 4. — 7.) loco propositam commendavit, eamque omnes admiserunt, cum hac tamen conditione, ut etiam illud „laboranti (*subsidio esse vel alia voce convenienti adhibita*) laboribusque eius benedicere“ post *primam* sententiam inseratur.

Item unanimiter admissum est, ut l. 7. illud „etiam“ et l. 10. „sine intermissione“ deleatur.

Etiam in eo omnes cum Revmo Relatore consentiebant, non esse, quemadmodum erat propositum, l. 8. inserendum „ut ex S. huius Sedis Apostolicae sollicitudine et ex oecumenicis ...“, neque l. 12. esse loco „provenerint“ ponendum „consecuti sint“, invertenda autem esse l. 13. verba, ut iam ponatur „pressius definita et uberius exposita“. Omnibus etiam probatum est, l. 15. post „firmata“ non poni „ex quo“.

Proposuit Revmus Relator, ut *l.* 19. vel verba „societas et unio“ serventur, vel priori voce sublata maneat altera „unio“, quod ultimum longe pluribus probatum est. Omnes probaverunt, ut l. 17. loco „frequentia“ ponatur „frequentatio“ et „instaurati“ loco „reformati“, longe plures, ut, quae leguntur l. 20 sqq, maneant, neve l. 18. pro „capite“ ponatur „capite Ecclesiae“, neve „aucta illius“ pro „aucta“ (l. 20.), neve „splendida indicia,, pro „instituta“ (l. 23.), neve „multiplicatae familiae ...“ tamquam consectarium ampliatae foecunditatis describatur.

Proposuit, ut l. 16. loco „militiae etc.“ ponatur „Clericorum in scientia et pietate, populique in doctrina Christiana institutio magis exculta etc.“, neve post „frequentia“ addatur „quies et sanctitas familiarum etc.“ Utrumque a Deputatis acceptatum cum hac conditione, ut l. 17. vox „populi“ deleatur vel alia substituatur.

Probaverunt omnes, quod Revmus Relator proposuit, ut *p.* 4 l. 3. pro „Verumtamen etc.“ ponatur „Verum dum ...acerbum tamen“; ut in l. 3. 8. 12. additamenta proposita „Romanorum Pontificum“ et si-

milia non admittantur; ut loco eorum, quae alia ab aliis proposita sint, l. 11. ponatur: „Manifestum enim est omnibus, haereticas sectas, contempto vivo Ecclesiae magisterio, admissoque privati, ut aiunt, examinis iure, in alias plurimas sectas paulatim dissolutas esse, quibus inter se dissentienbus et disceptantibus ..."; ut l. 16. loco „Tum" non „Exinde", sed „Inde" ponatur et, quae l. 17. — 19. leguntur, maneant, *nisi forte* „*appellabatur*" *in* „*appellabant*" *mutetur, non* admisso additamento „ab ipsis Ecclesiae hostibus"; ut l. 23. loco „vulgatissima" ponatur „nimis vulgata" et l. 27. loco „Servatoris" dicatur „Salvatoris".

De verbo „Christi dominio" l. 28. non propter veritatem, sed opportunitatem tollendo sive retinendo controversia orta est. Contra eos, qui textum remanere voluerunt, alii aliud substituendum esse putabant. Ab his tres sententiae propositae sunt: 1ª substituendum esse „ut Conditore ac Salvatore Iesu Christo a rebus humanis excluso ..."; 2ª „ut rebus humanis Conditoris et Salvatoris Christi legi omnino subtractis"; 3ª „ut rebus humanis Conditori et Salvatori Domino subtractis." Prima et altera sententia longe maiori suffragiorum numero reiecta; tertia duodecim suffragiis contra decem admissa, inter quae tamen erant plura solum conditionate data, in quantum aptior non inveniatur.

Sententiam „Ita proh dolor etc.", quam unus l. 35. addendam putavit, Revmus Relator pulcherrimam illam quidem esse censuit, propter contextum tamen orationis recipi non posse. Deputatio iudicavit, loco accomodato eam inserendam esse.

Quoad ea, quae pro initio § 3. proposita erant, commendat Relator, *ut deleto* „*impune*" *et substituto* „late "loco „circumquaque" et „adiecta ante „fieri" vocula „vix" atque pro „a via verae pietatis" substituta phrasi „a veritatis tramite" reliqua intacta maneant.

Proponit Revmus Relator, ut initium § 4. „Quibus etc." non mutetur in id, quod propositum est: „Ad quorum aspectum etc." Probatum est omnibus. Proponit, ut l. 4. eiusd. paragraphi loco „pervenire" ponatur „venire" et loco eius, quod propositum erat, l. 9. addatur „fideles confirmare et ad meliora incitare", quae omnibus probantur.

Proponit, ut in paragraphi ultimae l. 2. post „quum" inseratur „insistentes vestigiis Praedecessorum Nostrorum", et l. 8. loco „immutabiliter ..." ponatur „integre custoditum et genuine expositum", quae omnibus probantur.

Tandem proponit, ut l. 4. post „Episcopis" inseratur: „in hac s. oecumenica Synodo ..." reliqua autem integra maneant, nihilque addatur aut immutetur, neque etiam verba illa „sedentibus et iudicantibus" tantum conditionate proponantur.

His absolutis convenerunt Revmi PP. in eo, ut in futuris Congregationibus ii soli loquantur, qui aliquid proponere voluerint, atque ut proposita verbis succinctis concipiantur ac simul scripto exhibeantur. Etiam in eo conveniebant, ut schema reformatum Congregationi generali viva voce proponatur ac commendetur.

Sessio V. 4. Mart. — Discutitur schematis reformati *caput I. cum canonibus* (De Deo et mundi creatione) *et caput II.* (De Revelatione).

Quod a Revmo Calvensi proponitur, ut in altera *primi capitis* paragrapho, qua de creatione agitur, addatur „per Filium unigenitum", non admittitur. Reliqua scripto proponebantur:

Ab uno commendatur inscriptio: „De Deo et creatione", atque proponitur, ut inter Dei attributa explicite commemoretur spiritualitas.

Ab alio proponitur, ut l. 3. deleatur „aeternum, immensum" et l. 5. post „substantia" inseratur „Spiritus purissimus, immutabilis, aeternus, immensus, ...perfectione infinitus", et loco „elevatus" ponatur „exaltatus". Porro, ut § 2. loco „ad manifestandam perfectionem suam" ponatur „ad impertiendam suis creaturis bonitatem".

Ab alio, ut pro „infinita" scribatur „infinitus" vel „praeditus". Notat, forsan pro „re et essentia distinctus" melius dici „re et essentia diversus".

In fine capitis citari debere Concilium Lateranense IV. cap. *Firmiter*.

Alius: l. 1. loco „profitetur" ponatur „confitetur"; citetur Conc. Later. IV.

L. 7. loco „essentiae" melius dicatur „substantia" vel „essentia sive substantia".

L. 10. pro „elevatus" ponatur „exaltatus".

L. 13. pro „manifestandam" ponatur „communicandam".

Alius: l. 6. pro „profitendus" ponatur „praedicandus".

L. 13. ante „perfectionem" inseratur „essentialem".

Alius: inscriptionem pro hoc argumento esse debere „De Deo uno in natura et creatione in genere". Praeterea causam professionis hoc capite contentae non inopportune indicari. — Verba „visibilium et indivisibilium" non debuisse omitti.

Alius: attributa, Deum esse necessario existentem, sapientissimum et providentissimum, diserte debere declarari.

Alius: l. 5. post verbum „simplex omnino" addendum „spiritualis". Item post „intellectu et voluntate" addendum „praedita" et loco „distinctus" potius dicendum „discretus" aut „diversus".

Secundam paragraphum esse ita scribendam: „Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute, non necessitate aliqua, sed liberrimo consilio, quo ipse perfectionem suam communicare et manifestare voluit, simul ab initio temporis ..."

Alius § 2. ita scribi vult: „Hic solus verus Deus non ad acquirendam vel augendam suam perfectionem. sed ad bonitatem suam creaturis communicandam, suaque attributa manifestanda, liberrimo consilio sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis per Filium unigenitum suum utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, Angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam; ipsumque Filium suum constituit haeredem universorum." (1)

Ab alio propositum est, ut cap. 1. hunc in modum ordiatur: „Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annuntiat firmamentum (2); nam a magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator mundi videri (3). Sed non est, quod a longinquo rationes, quae Deum esse probant, afferamus, cum non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, movemur et sumus" (Act. 17, 28).

„Nam liberi arbitrii et legis in cordibus nostris scriptae probe conscii facile nobis persuademus, nos ultimo non a rerum natura, in qua necessitate omnia eveniunt, sed a Deo omnipotenti, sapientissimo ac sanctissimo pendere. Quod animus cuiusque inveniens seipsum testatur, hoc ex generis humani conditione evidentissime evincitur. Societas enim humana sine religione salva consisteri nequit, teste Apostolo Paulo, qui

(1) Hebr. 1, 1.
(2) Ps. 18, 2.
(3) Sap. 13, 5.

de iis, qui Deum non requirunt, dicit: ‚Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum' (1). Hinc sancta Romana Ecclesia Catholica..."

Canones unus vult ad hos tres reduci:

1. „Si quis in rationem aeque ac fidem contumax unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem negaverit, vel affirmare non erubuerit, praeter materiam nihil esse (existere), vel Deum omnia et omnia Deum esse contenderit, a. s."

2. „Si quis non confiteatur, mundum resque omnes..." (ut habet 8.), „vel dixerit, Deum non voluntate ab omni necessitate libera etc." (ut 9. habet).

3. „Si quis dixerit, per creationem etc..." (ut n. 10), „vel negaverit etc..." (ut n. 11), „anathema sit".

Et addendum: „Improbat vehementer s. Concilium impietatem eorum, qui, ut suis perversis doctrinis aliquid Christianum subesse, incautis persuadeant, illas sanctissimorum mysteriorum Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis, Resurrectionis nominibus obtegere atque ipsa haec veneranda Christianae Religionis mysteria ad perversissimos sensus detorquere ac depravare non verentur."

Alius vult can. 1. et 8., similiter 3. 4. 6. et 10. 11. contrahi.

Alius, imminui canonum numerum.

In can. 2. potius „in fidem aeque ac rationem" legendum, et post „esse" ponendum „seu existere".

In can. 5.: „Si q. d., Deum esse . . ."

In can. 6. ante „emanasse" inseratur „proprie".

In can. 11. ante „gloriam" inseratur „externam',.

Ab alio animadversum est, can. 6. ita concipiendum: „S. q. d., aliquas aut omnes res finitas, sive corporales sive spirituales, ex divina substantia emanasse, a. s."

Ab alio: 1° voces can. 2. „in rationem aeque ac fidem contumax" adhiberi potuisse in omnibus canonibus; non patere, cur discrimen servetur.

2° In can. 2. phrasin „affirmare non erubuerit "in simpliciorem commutandam.

3° In can. 3. post „substantiam" inserendum „aut essentiam".

4° Can. 7. eliminandum.

5° In can. 10. potius dicendum „augmentum perfectionis et beatitudinis accessisse".

Ab alio, can. 1. omittendum.

In can. 2. pro „nihil esse" ponendum „nihil reale existere".

In can. 3. dicendum „unam eandemque essentiam vel substantiam".

Can. 10. omittendum.

Can. 11 omittendum, doctrinam vero in capite enuntiandam.

Transitur ad examen *cap. II.* (De Revelatione).

Quoad caput secundum unus Revmorum PP. proposuit, ut initium recipiatur hoc: „Eadem s. Mater Ecclesia docet, Deum etc..... et ad hoc *revelatam* de Deo" vel „ad hoc *positivam* et *supernaturalem* de Deo doctrinam non absolute esse necessariam".

Alius: „Eadem ... rationis, uti *nunc est*, naturali lumine, *non tamen directa visione* e rebus creatis certo cognosci posse, neque ad hoc fide traditam ...necessariam esse; invisibilia enim ipsius a creatura mundi

(1) Rom. 3, 16-18.

per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur (Rom. 1,20); placuisse autem eius sapientiae et bonitati, alia eaque directa via se ipsum et voluntatis suae decreta olim protoparentibus, deinde patribus in Prophetis, novissime vero..."

Alius, ut verba „principium et finem" mutentur in „Conditorem et Dominum".

Alius: „neque ad hoc omnino necessarium esse proprie dictam revelationem fieri".

Alius: „neque ad hoc absolute necessariam esse doctrinam de Deo peculiari revelatione traditam".

Alius, ut addatur Sap. 13,6.

Alius, ut l. 4. (hui. cap.) dicatur „traditam de Deo revelationem".

Alius: „Eadem ... tenet et docet, Deum etc.... posse" (deletis: „nec ad hoc traditam de Deo ... necessariam esse") „...conspiciuntur. Quia tamen investigatio naturalis rationis non sufficit humano generi ad cognitionem etiam illorum, quae ratione ostendi possent; cogitationes enim mortalium timidae et incertae providentiae nostrae, corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam et terrena inhabitatio depremit sensum multa cogitantem; et difficile aestimamus, quae in terra sunt, et quae in prospectu sunt, invenimus cum labore, quae autem in coelis sunt, quis investigabit? (1): placuit amantissimae providentiae divinae alia faciliori tutiorique via seipsum ... in Filio.

Quia tamen positivae revelationi non illud tantum maximum beneficium tribuendum est, quod in praesenti (l. 20.-22.) ... cognosci possunt veritates plurimae, quae tamen humanae rationis captum omnino non superant: nec hac de causa positivam revelationem simpliciter et absolute necessariam singulis hominibus credimus et profitemur, sed ex eo, quod clementissimus Deus hominem ad finem prorsus..."

Alius vult, paragraphum tertiam prorsus refundi.

Alius, in paragrapho prima l. 3. post „lumine" inseri „non quidem immediata cognitione", vel „immediato intuitu".

Pag. 7. l. 16, loco „comprehensionem" poni „cognitionem" vel „quae a ratione sola attingi non possunt".

Alius l. 13. substitui „Deus hominem ad se videndum facie ad faciem, ad quod viribus suis pervenire non potuisset, sola sua bonitate ordinavit, ad finem nempe, qui cognitionem rationis excedit, ac proinde, ut in eum homo tenderet, necesse erat, non solum finem, sed et media, quibus eum consequi poterat..."

L. 11. pro: „Attamen..." substituatur „Attamen revelatio simpliciter et absolute necessaria dicenda est, non hac de causa, sed eo, quod clementissimus Deus..."

Alius. l. 3. loco „veritati" ponatur „rationi" et ante „tenetur" inseratur „praestandum".

Alius: l. 6. „Supernae disciplinae" mutetur in „supernae huic revelationi"; l. 14. loco „finem" ponatur „ordinem"; l. 13. loco „clementissimus" ponatur „infinite bonus; l. 8 deleatur „quoque" et l. 5 ponatur „quod ea etiam".

Alius: l. 29. pro „sola licet" ponatur „licet sola"; l. 35. voci „traditi" subiungatur „fuerunt"; l. 33. verba „eiusque sunt vere et proprie... traditi" deleantur; l. 26. „canonicis" deleatur; „licet" et l. 30. „tamen" deleatur.

Alius: l. 34. omittatur „proprie".

(1) Sap. 9.

Alius : l. 3. pro „revelante" ponatur „revelanti" ; atque „se" deleatur, vel addatur „aut opera sua".

Alius vult paragraphum secundam hoc loco tolli et paragrapho 4. l. 33. dici „Deum habet auctorem principalem", ne humana industria prorsus excludi videatur in ss. literis conficiendis.

Alius vult, *Pag*. 8. l. 3. pro „ut in rebus" poni „quod in rebus".

Alius, l. 6. pro „attestatur" poni „adoptavit".

Alius, l. 2. poni, „hanc eius mentem esse definimus, ut in rebus fidei et morum pro vero sit habendus sensus, quem tenuit ac tenet s. Mater Ecclesia. . ."

Alius, l. 5. „aut quem..." omitti, vel addi „quisnam vero sit unanimis SS. Patrum consensus, non est tandem privati cuiusque iudicio, sed Ecclesiae auctoritate determinandum".

Alius : l. 6. omittatur „unanimis".

Alius : ultima verba „aut quem SS. Patrum..." omittantur.

Sessio VI. 5. Mart. — Revmus Paderbornensis praelegit *caput I. cum canonibus emendatum*. Prior capitis pars omnium, altera pars omnium, duobus exceptis, suffragiis probata est. Canones ab omnibus approbati sunt, hac adiecta conditione, ut can. 4. 5. 6. non proponantur, nisi id a Congregatione generali desideretur.

Deinde prima vice examinantur *canones capitis secundi* schematis reformati.

Quoad can. 1. proponitur, ut dicatur : „Si quis negaverit existentiam Dei etc.... certo demonstrari et ab homine... cognosci posse, a. s."

Ab alio, ut omittatur vel hoc modo redigatur : „Si quis dixerit. Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum per ea, quae facta sunt, naturali ratione nullimode cognosci posse, a. s."

Ab alio proponitur idem, sed ponatur : „Deum... eiusque existentiam" „demonstrari".

Ab alio, ut tantum dicatur „demonstrari posse".

Ab alio, ut „demonstrari" ponatur primo et sequatur „vel certo cognosci posse".

Ab alio proponitur canon hac forma : „Si quis negaverit, Dei existentiam naturali ratione ab homine lapso probari posse, vel dixerit, Deum unum et verum, Dominum nostrum per ea, quae facta *sunt*, *minime* cognosci posse, a. s."

Ab alio : „S. q. n., existentiam unius veri Dei Creatoris et Domini nostri per ea, quae facta sunt, naturali ratione ab homine lapso certo *probari* ideoque cognosci posse, a. s."

Ab alio : „S. q. n., Deum... non aliter, quam per fidem divinam supernaturalem ab homine lapso certo *cognosci* posse, a. s."

Quoad can. 2. observatum ab uno, eum debere ita proponi : „S. q. d., fieri non posse aut non convenire, ut... de Deo *cultuque ei exhibendo* edoceatur, vel dixerit, fidem homini a Deo imperari non posse, a. s."

Ab alio : dicendum : „et obsequio ei praestando".

In *can.* 4. pro „cognitionem" ponendum esse „ad statum supernaturalem divinitus evehi..."

Alius vult, *secundum et tertium* canonem contrahi : „... exhibendo... ita independentem a Deo esse... fides divina... possit et debeat (3)..."

Can. 4. ita proponitur : „S. q. d., hominem non posse divinitus perfici et supra naturalem conditionem evehi, sed ex propriis suis viribus et iugi profectu omnem veri et boni possessionem exspectare debere' a. s."

Alius vult, ad „veri et boni" addi „etiam revelati".

Quoad can. 5. propositum est, ut dicatur secundum verba Tridentini: „Si quis... libros integros cum omnibus suis partibus a Tridentina Synodo recensitos pro sacris et canonicis non receperit, a. s."

Ab alio: „Si eosque, vel aliquem eorum Deum non habere auctorem, a. s."

Ab alio: „....eosque aut aliquem eorum vel aliquam eorum partem divinitus inspiratam esse."

Ab alio, ponendum „vere inspiratos".

Ab alio, ut addatur: „aut Ecclesiam errare circa eorundem sensum, aut licere cuilibet, illos interpretari contra unanimem Patrum sententiam."

Eadem Sess. examinatum est *cap. III.* (De Fide).

Ab uno propositum est, ut l. 2. paragraphi primae deleatur „infusam" et l. 4. post „revelata" addatur „et ut talia ab Ecclesia credenda sunt proposita" et l. 6. „.... auctoritatem, qui nec fallere, nec falli potest", tandem, ut l. 23. ult. § illud „magno intervallo" mutetur.

Ab alio, ut pro „auctoritatem" substituatur „veracitatem".

Ab alio, ut l. 5. „ex se ipsa" mutetur in aliam phrasin, quae exprimat omnia media naturalia.

Ab alio, ut in fine § 2. addatur: „quique sola mentis illustratione saepe efficit, ut homines videant, esse credendum".

Ab alio, ut § 2. initio pro verbis „Ut nihilominus rationabile etc." alia adhibeantur.

Ab alio, ut pro his verbis ponatur: „Cum tamen non debeamus omni spiritui credere, sed prius probare, ut, quod bonum est, teneamus" et simul adiiciatur: „ad confirmandam alicuius doctrinae divinitatem vel ad divinam missionem comprobandam illorum, in quorum gratiam eduntur..."

§ 2. l. 8. post „legimus" sequatur: „Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et scietis, quia dii estis vos. Et rursum: Illi etc."

§ 3. l. 7. loco „qui dat... in assentiendo..." ponatur „qui ad assentiendum allicit et credendum".

Ab alio: § 2. l. 2. ante „motione" inseratur „illuminatione".

Ab alio: pro „motione" ponatur „gratia".

Ab alio: *p.* 9. l. 2. omittatur „cui resistere posset" et l. 1. pro „quo homo etc." ponatur „quo homo liberum praestet Deo intellectus obsequium".

Ab alio: § ult. l. 1. post „sine qua" ponatur „adultis"; notatur ab eodem l. 8. „in nostra potestate" non esse sat clarum quid significet.

Ab alio proponitur, ut § ult. l. 12. pro „religionis communionem" ponatur „ad alias societates" et deleatur „omnia"; verba: „non deserit, nisi deseratur" [?]; l. 24. ponatur „falsas religiones".

A duobus Revmis Patribus observatum est, ult. § debere reformari, ut facilius eius argumentum pateat. Quorum unus hanc proposuit formulam: „Imo Ecclesia ipsa magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et veluti signum levatum in nationibus, divinae suae legationis testis irrefragabilis. Ipsa est sponsa Christi, quam unice dilectam sibi subarrhavit annulo fidei, ipsa est, quae Christum resuscitatum a mortuis, ascendentem ad cœlum, Spiritum S. descendentem in coenaculo, adimplementum eorum, quae de Christo scripta sunt, miracula Christi et Apostolorum vidit et testimonium perhibuit et ipsa potest dicere, ut S. Joannes: et testimonium meum est verum, quia est testimo-

nium vivum et testis ocularis. Quis ea, quae narrantur a fide digno, qui asserit, se propriis *oculis vidisse, auribus audisse, in dubium vocare* audeat? Quis existentiam illius nonnisi absurde inficiaretur, cum quo loqueretur? Ast Ecclesia non est evidenter ille testis fide dignus, qui in toto saeculorum decursu semper loquitur, ipsa divina, immutabilis, dum videt circum se humana continuo fluxu transire?"

Ab alio propositum est, ut addatur in fine: „Qua fide complecti et credere debemus omnia sive explicite sive implicite, quae et quemadmodum in utroque sacrae revelationis fonte contenta ab indeficienti Ecclesiae magisterio proponuntur". Porro voluit, canone adiecto dici: „S. q. d., fideles catholicos eas tantum veritates fide divina credere posse vel debere, quae ab Ecclesia ita propositae vel definitae fuerint, ut sententias oppositas tamquam haereticas damnaverit, a. s."

Sessio VII. 6. Mart. — Rvmus Episc. Paderbornensis praelegit *cap. II. cum canonibus iam emendatum.*

Prima paragraphus omnibus placuit, duobus exceptis, quorum alter verba „rerum omnium principium" omittenda esse censuit, quum Deus ut rerum omnium principium et finis naturali lumine rationis cognosci nequeat, alter revelationem primis parentibus factam commemorari voluit.

Alteram paragraphum omnes unanimi consensu in caput tertium transferendam esse censuerunt.

Ceterae paragraphi omnium suffragia tulerunt; adiiciebatur tamen quoad ultimam haec conditio, ut delerentur ultima verba: „aut quem Patrum consensus unanimis attestatur".

Canones ad secundum caput spectantes eum in modum concepti, quo supra referuntur, omnibus probabantur (1); solus canon secundus non probabatur duobus.

Deinde transitur ad examinandos *cap. III. canones.*

Unus proposuit, ut can. 1. et 3. maneant, 2. et 4. omittantur, 5. reiiciatur ad doctrinam de gratia, 6. reformetur secundum schema prius p. 24. ad calcem cap. 9., ita tamen, ut (ib. § ult. l. 10. pro „reale" ponatur „serio in dubium" atque ut praemittatur „assensu suspenso".

Alius, ut can. 1. pro „ad actum fidei etc." ponatur „fidem, qua... non inniti infallibili auctoritati Dei revelantis, a. s." aut saltem ut „actum" omittatur.

Alius, ut in can. 1. mutetur „revelatoris" in „revelantis" et in can. 3. „*et* non confiteatur" in „*aut* non confiteatur".

Alius, ut can. 1. pro „Dei revelatoris" ponatur „Dei revelantis" et can. 2. pro „ideoque etc." ponatur „sed sola interna cuiusque experientia homines se ipsos ad fidem movere".

In can. 3. pro „miracula nulla fieri posse" ponatur „miracula esse impossibilia" et can. 4. loco „esse persuasionem" ponatur „nihil esse aliud, qnam persuasionem".

In can. 5. pro „ad fidem vivam" ponatur „tantum ad fidem vivam". Insuper can. 2. 3. 4. contrahi posse hunc in modum: „S. q. d., miracula aliaque externa facta, quae motiva credibilitatis dici solent, nihil conferre, ut revelatio divina credibilis reddatur, vel miracula impossibilia esse aut saltem de eorum certitudine nobis constare non posse,

(1) In *protocollo* referuntur tamquam canones probati soli tres primi ex quatuor, qui Congregationi generali proponebantur (Granderath, *Acta*, col. 1655.

ac proinde ex his, quae in Scriptura narrantur, divinitatem christianae religionis minime comprobari, a. s.“

„S. q. d., fidem... nihil aliud esse, quam persuasionem *ex* scientia... inductam, vel esse effectum internae cuiusque experientiae aut instinctus, a. s.“

Alius: in 2° canone pro „externis signis“ ponatur „certis argumentis“.

Alius vult, can. 5m reformari secundum prius schema, ita tamen, ut supprimatur „reale“, et ut pro ultimis verbis ponatur „donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis (fidei) absolverint, a. s.“

Alius formulam prioris schematis praeferendam esse censet.

Alius proponit, ut can. 1. post „revelantis“ addatur, „et Ecclesiae declarantis et proponentis“.

Alius can. 4. ita proponit: „S. q. d., miracula et vaticinia fieri non posse ac proinde omnes eiusmodi narrationes etiam in S. Scriptura contentas, inter fabulas et mythos ablegandas esse, vel si quis dixerit, miracula et vaticinia certo cognosci nunquam posse iisque proinde divinam religionis Christianae originem non probari, a. s.“

Sessio VIII. 8. Mart. — Revmus Martin praelegit *caput III. cum canonibus,* secundum ea, quae Sess. VI et VII. notata erant, *emendatum.*

Prima paragraphus ab omnibus, altera ab omnibus, quatuor exceptis, tertia ab omnibus, quarta in aliquibus minoris momenti rebus mutata recipiebatur, addita conditione, ut loci, qui allegati sint, accurate indicentur. „Quoad paragraphum ultimam autem decisum est, ut, antequam approbationi proponatur, ratio habeatur quorundam, quae observata sunt, imprimis locorum in primo schemate ad rem praesentem facientium.“

Canon 1. omnibus placuit. Item can. 2. et 3., ita tamen, ut in 2. mutetur „movendos esse“ in „movere“ et in 3. omittatur „et vaticinia“. Placuit etiam canon 4., quo priores 4. et 5. in unum contracti continebantur, et can. 5., iuxta prius schema iam ita concinnatus, ut omitteretur „serio“ ante „in dubium vocari“.

Deinde transitur ad examen *capitis IV.* (De Fide et ratione).

Unus notabat, in titulo fortasse melius poni „scientia“ quam „ratione“. Porro l. 5. pro „rationem insitam“ ponendum „rationem nobis insitam“, pro „per fidem“ „per revelationem“. In fine notum ex Vincentio Lirin. locum adiici posse: „Nove dicimus etc.“

Alius: l. 9. deleatur „nec Angelo“; l. 30. pro „suis principiis“ ponatur „ex interna sua indole“ vel „ex eorum interna necessitate perspecta“.

P. 11. l. 2. textus S. Pauli: „videmus nunc per speculum etc.“ addatur; l. 11. loco „commenticiae opiniones“ ponatur „opinionum commenta“; l. 14. pro „definimus“ „declaratur“; l. 19. „declarandi“ deleatur et sequentia contrahantur ita, ut textus iam sit: „cum eo effectu proscribendi, ut omnes Christiani fideles huiusmodi opiniones proscriptas tanquam doctrinae Christianae oppositas hoc ipso cavere teneantur“.

In fine § 3. addatur: „Dum autem Ecclesia haec docet ac definit, non ius cuiusvis personale indagandae cognoscendaeque veritatis ullo modo laedere censenda est. Imo, dum devia monstrat, quae a veritate abducunt, negotia huius cognoscendae adiuvat. Non enim rationis humanae in illustrandis provehendisque notionibus religiosis, nedum in scientiis naturalibus industriam, sed eius solum in rebus etiam divinis omnem auctoritatem superbe fastidientis intemperantiam pro incumbente sibi

munere vult coercitam". Cf. p. 26. [t. I, p. 578] prioris schematis.

Alius: *pag. 10.* pro „suis principiis demonstranda" ponatur tantum „cognoscenda".

Pag. 11. l. 22. in verbis „commenticiae opiniones rationis effata reputantur" pro ultimo vocabulo aptius esse eligendum; l. 13. „vere" delendum; l. 28. pro „semel declaravit" ponatur „qui semel declaratur in Ecclesia Catholica"; l. 33. ponatur „integre custodienda et fideliter declaranda".

Alius; *pag.* 10. l. 4, verba „principio quidem... obiecto autem" delenda; l. 30. deleatur „aut omnia" et pro „rerum" ponatur „veritatum".

Pag. 11. l. 13. pro „illuminatae fidei" ponatur „divinae fidei".

Alius: *pag.* 10. l. 12. post „enarravit" ex priori schemate restituendum pag. 28. l. 9—18 [t. I, p. 579, l. 11]: „Firmum igitur... concredita est", et can. 3. l. 2. esse inserendum „non esse depositum Ecclesiae divinitus concreditum, sed rationi humanae insertum".

Alius: *pag. 10.* l. 1. pro „perpetuus Ecclesiae Catholicae consensus" ponatur: „Ecclesia Catholica semper docuit." L. 27. pro „aliquam mysteriorum" ponatur „aliquam mysteriorum *quorundam*".

Pag. 11. l. 12. ante „Omnem" inseratur: „Igitur, quamvis Ecclesia Catholica sanum progressum, veras scientias atque artes liberales pro nacta occasione nullo non tempore confovit et pro viribus promovit, omnem tamen assertionem, quae illuminatae fidei vere est contraria, omnino falsam esse semper declaravit, prout et nunc definit."

Alius: *pag. 10.* l. 2. post „esse" inseratur „in homine"; l. 5. loco „per rationem insitam" ponatur „per naturale rationis humanae lumen"; ib. pro „infusam" substituatur „divinam".

Pag. 11. l. 1. post „quadam" inseratur „saltem"; l. 12. pro „rationis effata" ponatur „pro rationis effatis habentur"; l. ult. „erroris„ videri obscuritatem creare.

Alius notat, in fine aut alibi declarandum esse, Ecclesiam non solum non se opposuisse, sed indesinenter promovisse artium et scientiarum progressum.

Alius: *pag. 10.* l. 5. ponatur „per lumen rationis insitae" et „per lumen fidei desuper nobis inditae"; l. 25. addendum: „Negari non potest, quod ratio fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, ex contextu, quo veritates revelatae inter se, et ex mirabili congruentia, qua cum fine nostro ultimo connectuntur, et ex analogia eorum, quae naturaliter cognoscit, ad aliquam mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam, Deo donante, possit proficere. Ast nunquam idonea redditur etc."

Pag. 11. l. 23. „quacunque nota" deleatur.

Alius: Addenda esse verba, post § 3., quae proposita sint: „Dum autem Ecclesiae etc.", eaque addenda in speciali paragrapho.

Alius: 1) titulum capitis et canonum debere esse eundem. 2) § 1. l. 10. addatur: „quae licet non sint contra rationem, sunt tamen super rationem"; post „facta" (Io. 1, 17) inseratur „inquit" vel simile.

Pag. 11. l. 2. (in fine § 2.) addiciantur verba Apostoli: „Videmus nunc etc." et „Est fides sperandarum etc."

Alius: *pag. 10.* l. 4. potius ponatur: „principio quidem, quia alter ordo derivat aut procedit a ratione insita, alter a fide infusa; obiecto autem, quia prioris ordinis obiectum sunt ea dumtaxat, ad quae ratio pertingere potest, posterioris vero praeter ista etiam mysteria in Deo

abscondita, quae nisi revelentur divinitus, nec homini nec Angelo innotescere possunt.“ Connecti autem debere ea cum sequentibus ita: „Mysteriorum autem existentia luculenter apparet ex multiplicibus S. Scripturae locis: Deum enim etc.“, quin dicatur: „Quocirca etc.“ sed: „Apostolus, *quamvis* a gentibus etc.“

In initio § 2. ponatur potius: „Quamvis ratio etc.“; l. 32. pro „quaedam divina dogmata“ ponatur „Mysteria enim proprie dicta“.

Pag. 11. l. 22. et 23. pro „maxime, si ab Ecclesia, quacunque nota“ ponatur „maxime, si ab Ecclesia tanquam falsa etc. quacunque ratione hoc fiat“; l. 13. „illuminatae“ deleatur; l. 35. „semper“ deleatur.

Alius: *pag. 10.* l. 9. 10. ponatur: „nisi revelatae essent... innotescere possent“; l. 22. legendum: „quia abscondit *haec*; l. 32. pro: „Quaedam divina dogmata“ ponatur „Divina enim mysteria“.

Pag. 11. l. 6. 7. pro „insevit“ ponatur „dedit“ vel simile; l. 7. pro „Deus se negare etc.“ ponatur „Deus autem per revelationem ceu verum docere non potest, quod per lumen rationis exhiberet ut falsum“; l. 9. „huius“ deleatur et ponatur: „Quamobrem, si quando falsa repugnantiae species inter fidem et rationem exstare videtur, id inde contingit, quod vel etc.“; l. 17 „et ius et officium“ mutetur in „non solum ius divinitus habet, sed etiam officium“; l. 18. „declarandi“ deleatur; l. 34. pro „secundum hanc declarationem“ ponatur "secundum declaratum ab Ecclesia sensum“.

Monet in fine Sessionis Cardinalis Bilio, locos s. Scripturae accuratissime citandos esse, ne ab adversariiis obiiciatur, locos a Concilio corruptos esse vel non genuino et vero sensu citatos.

Sessio IX. 9. Mart. — Propositum est, ut *capiti tertio* sequens sententia post tertiam paragraphum addatur: „Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae ab Ecclesia sive iudiciis dogmaticis, sive ordinaria et universali doctrina et praedicatione tamquam in verbo Dei scripto vel tradito contenta proponuntur“.

Similiter addatur correspondens canon: „Si quis dixerit, quidquid Ecclesiae iudicio tamquam fidei articulus sive dogma declaratum non sit, a fideli Catholico humana tantum fide vel opinione teneri posse aut debere, a. s“.

Videbatur autem Deputatis discussio pro rei gravitate differenda esse ad illud tempus, quo de Ecclesiae infallibilitate agatur.

Deinde examinati sunt *canones capitis IV.*

Unus censuit, can. 1. et 2. contrahendos, 3. omittendum, 4. et 5. in unum conflandos ita, ut sit hic: "Si quis dixerit, humanarum disciplinarum conclusiones, etiamsi doctrinae catholicae repugnent, non subesse proscriptioni Ecclesiae, cui omnes obedire tenentur“. Can. 6. censuit omittendum, 7. mutandum esse, ut sit hic: „S. q. d., fieri posse, ut... substitui debeat, a. s“.

Alius proponit, ut can. 1. et 2. contrahantur ita: „S. q. d., nulla vera et proprie dicta mysteria in christiana religione contineri, sed universa fidei dogmata posse a ratione rite exculta e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, a. s“. Porro vult, can, 3. omitti, can. 4. manere, ex can. 5. et 6. unum confici hunc: „S. q. d., theses et deductiones humanarum disciplinarum, etiamsi doctrinae Catholicae repugnent, ab Ecclesia proscribi non posse; aut licitum esse eas tradere et docere, quamvis ab Ecclesia proscriptas, saltem, si non sint damnatae tamquam haereticae, a. s.“ Proponit can. 7. (qui fiat 5.) hunc: „S. q. d., articulis fidei ab Ecclesia propositis tribuendum esse aliquando, secundum

progressum scientiae sensum alium ab eo, quem Ecclesia intellexit et intelligit, a. s.“

Alius vocem „philosophicum“ in can. 3. perhorrescit. Si can. 3. retineatur, eum debere reformari, ut heri proposuerit. Si non retineatur, verba ibi proposita in fine capitis praecedentis addenda esse.

Alius: dubitari posse, utrum expediat, in dogma erigi propositionem canonis 6: „Illicitum est etc.“. In can. 7. ponatur „substitui posse vel debere“.

Alius vult, in can 5. poni „cui omnes obedire tenentur“. In reliquis consentit cum eo, cuius sententia secundo loco proposita est.

Alius can. 4. et 5. contrahendos censet in hunc unum: „Si quis dixerit, humanarum disciplinarum cultoribus licere, dum propriis cuivis scientiae principiis veritatem indagant et demonstrant, stellam directricem fidei contemnere, vel conclusiones fidei contrarias pro genuinis et veris habere: vel denique eiusmodi conclusiones non subesse iudicio et authenticae praescriptioni Ecclesiae, a. s.“

Alius can. 4. vel omittendum vel post „periculo“ l. 2. addendum „certo“.

Alius proponit, ut can. 4. omittatur. Ceterum se consentire cum paenultimo.

Alius, ut can. 1. pro „christiana“ ponatur “divina revelatione“. Can. 2. et 3., necnon can. 4. et 5, contrahantur. Si can. 4. retineatur, post „periculo“ addendum esse „certo“.

Tres alii, ut maneat can. 4. et [?] videtur severior.

Alius, can. 1. et 2. contrahendos; 3. omittendum.

Sessio X. 11. Mart. — Revmus Paderbornensis praelegit *cap. IV. cum canonibus* post Sess. VIII. et IX. *emendatum*. Paucis minoris momenti rebus mutatis fere omnia probabantur omnibus. Cetera probabantur omnibus, duobus vel tribus exceptis.

Decernunt Patres, ex prooemio et quatuor capitibus propriam faciendam Constitutionem, quae typis descripta Patribus Concilii tradatur.

In Sessione decima iam incipit discussio *alterius Constitutionis de Fide*, quae est altera schematis emendati pars. Ea pars quinque capitibus (V—IX) continetur universamque reliquam prioris schematis materiam complectitur.

Examinari coeptum est *caput V*. (De SS. Trinitate).

Unus proponit, ut ultima sententia § 1. in aliam priori schemati et definitionibus Ecclesiae iam exstantibus conformem mutetur: „ut personae inter se realiter distinguantur, natura autem seu essentia trium sit [in] distincta“. Paragraphum alteram hac forma proposuit: „Et... oppositio: propterea [sicut] secundum essentiam seu naturam Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum sunt, ita etiam omnis divina operatio ad extra una communis est tribus personis; operantur enim ad extra, quatenus essentia, intellectu, voluntate, omnipotentia sunt unus Deus (1)“.

. . . .

. . . .

Iam die 18. Martii in Congregatione generali Primas Hungariae proposuit et illustravit schematis emendati priorem partem (prooemium et quatuor capita); tum discussio generalis incepta est. Ea absolvitur die

(1) Les séances XI, XII, XIII, XIV et XV aussi bien que la fin de la dixième, furent consacrées à préparer la seconde constitution sur la foi.

22. Martii. Facta deinde in Congregatione generali discussione speciali de prooemio et capite primo diebus (22) 23. et 24. Martii et emendationibus prelo subiectis, habita est Deputationis.

Sessio XVI. 25. Mart. mane. Examinantur *emendationes prooemii* a Patribus in Congregationibus generalibus propositae et typis descriptae.

Emus Praeses animadvertit, quum plurimae emendationes ad stylum referantur, aliae autem minoris momenti ac praeterea iam revocatae et probabiliter revocandae sint, ita, ut solum duae vel tres gravioris momenti maneant, se proponere, ut de his duabus vel tribus solis in Congregatione generali suffragia exigantur, reliquarum autem in emendando prooemio ratio habeatur; prooemium emendatum, quam primum fieri possit, Patribus exhibitum iri. Quod omnibus placuit.

Deinde discussio redit ad *cap. V.* de Trinitate. Animadvertebatur enim, loco „Pater, Filius et Spiritus Sanctus" ponendum esse potius, prout omnia omnino symbola habeant: "Pater *et* Filius et Spiritus Sanctus"; porro ad verba „in tribus personis distinctis" ex bulla „Auctorem fidei" deprompta addendum esse alterum quoque membrum eiusdem sententiae „non in tribus personis distinctus" atque post „prout relationibus distinctae", quae verba converti debeant in verba „prout relationibus distinguuntur", ponendum esse „singillatim".

Deinde transitur ad examen *capitis VI.* emendati.

Unus generatim notavit:

1° Non esse, cur in capite definienda proponerentur, quae expressa essent in S. Scriptura neque ab ullo negarentur. Deinde „ut praeesset" non legi in Scriptura, sed „ut praesit". In commate 3. § 1. „singulis" non habere suam correlationem.

2° Verba Concilii Viennensis, quibus anima rationalis corporis humani vere, per se et essentialiter forma esse dicitur, quum hodie a plerisque non intelligantur, cum aliis clarioribus commutanda esse. Id non ita difficile esse, quum non alius scopus fuerit Concilii Viennensis, nisi ut ex Scripturae textu: „Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae et factus est in animam viventem, concluderet, animam rationalem esse principium vitae in corpore, ex ea, non ab alia anima id habere corpus humanum vivum, *idque non per accidens*, ut esset, si coniungeretur anima rationalis corpori, ut rector navis navigio, sed *per se*, ita ut ex natura sua anima ordinetur ad se coniungendum corpori, corpusque animae ita, ut una ex duobus, anima et corpore, inter se diversis, natura humana *una* resultet. Tempore Concilii Viennensis vocabulum „forma" omnibus notum fuisse, quod nostris diebus non sit, et hinc alio explicandum, idque eo magis, quum quando aliquid definiendum est, non solum Concilio liceat, quae ambigua aut obscura sunt in definitionibus prioribus, novis verbis clarius explicare, sed id etiam omnino conveniat.

Ab alio prorsus nova capitis huius proposita est forma: „De hominis vero natura et origine, testantibus ss. Litteris, Deum creasse hominem ad imaginem et similitudinem suam, ut cunctis animantibus et universae terrae praeesset, formasse vero illum de limo terrae et inspirasse in faciem eius spiraculum vitae, factumque esse hominem in animam viventem, his aliisque testimoniis edocta sancta Romana Ecclesia tenet et praedicat, primo homini de limo terrae secundum corpus formato, Deum infudisse animam spiritualem atque adeo incorruptibilem, et, ut praeesse possit, intelligentia et libera voluntate praeditam. Quae quidem anima, quamvis origine et conditione omnino a corpore diversa, corpori tamen ita unitur, ut vere, per se et essentialiter sit eius forma. Neque

enim per aliam animam, sed per seipsam corpus ad esse hominis proprium determinat, atque ita cum eo constituit naturam vere et realiter unam.

Primo... descendant (§ 2. l. 1—9). Quod etiam confirmat Apostolus, cum de peccato ab uno primo genitore in omnes transfuso et de redemptione omnium per unum Mediatorem Iesum loquens ait : Sicut etc.

Fide igitur tenendum est, omnes homines ab uno protoparente Adam originem ducere, quamvis anima singulis a Deo Creatore infundatur".

Ab alio notatum, pro „benedicens" § 2. l. 3. potius ponendum : „Benedixitque illis et ait . . ."

Ab alio : si illud, „sed ipsa per se corpus ad esse homini proprium determinat" alio modo non explicetur, saltem addendum esse „illudque animat et vivificat".

§ 2. post verba „naturali generatione descendant" ponatur in textu : „Atque Apostolus huic sententiae universalitatem peccati originalis et redemptionis nostrae per Christum Dominum superstruens, ait : Sicut etc."

Ab alio : loco „S. Romana Ecclesia" dicatur : „S. Ecclesia Catholica Romana" ; l. 14. post „rationalis" addatur „intellectiva".

Ab alio : l. 7. § 1. ante „ut" ponatur „et constituit eum super opera manuum suarum". Hebr. 2, 7.

Pag. 2. l. 17 pro „qua fidei sententia" dicatur „qua fidei doctrina„ ; l. 6. ab infra pro „contra Apostoli doctrinam" ponatur „contra verba Apostoli docentis".

Ab alio : *pag. 1.* l. 4. ab infra dicatur : „Neque enim per aliam animam, sed per se corpus ad esse hominum proprium *ipsa* determinat" ; *pag.* 2. l. 3. dicatur : „Primo autem homini Adae eiusque uxori Evae".

Ab alio : ib. „primis hominibus, Adae et eius uxori".

Ab alio : textum priorem esse praeferendum : „Neque enim per aliam animam seu quoddam aliud vitae principium..."

Ab alio : verbis S. Leonis Papae creatio animae definiatur : „Catholica fides constanter praedicat, atque veraciter, quod animae hominum, priusquam suis inspirentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporantur, nisi ab opifice Deo, qui et ipsarum est creator et corporum". Ep. 15. ad Turib. c. 10.

Tandem, qum non possent Revmi Patres inter se invicem convenire, conclusum est, ut verba ita sonent : „... essentialiter forma est, ita, ut cum eo constituat naturam vere et realiter unam" omissis verbis intermediis.

Sessio XVII. 27. Mart. — Lectum est prooemium denuo reformatum, quod per singulas partes accuratissime examinatum ac discussum, ubi videbatur, correctum, atque tandem approbatum, statimque typographo imprimendum traditum est.

Deinde de *emendationibus capitis I.* in Congregatione generali a Patribus propositis agebatur, et Revmus Brixinensis, qui de iis in Congregatione generali nomine Deputationis relaturus erat, aliquas quaestiones proponit :

1° Num prima capitis verba "Sancta Romana Catholica Ecclesia", ut a duobus Revmis Patribus desideratum est, mutentur in verba „Sancta Catholica Ecclesia".

Responsum est unanimiter, verba retinenda esse.

2° Num, prout ab uno Patre propositum est, suppresso vocabulo „providissimum", paragraphus tertia addenda sit, in qua doctrina de

providentia et praescientia actionum futurarum naturarum rationalium exponatur.

Omnes affirmative responderunt, praeter unum, qui se de re non clare exposita sententiam ferre non posse declaravit.

3° Num verbum „singularis" de duorum Patrum sententia expungatur.

Omnes negative responderunt, excepto uno, qui a suffragio abstinuit.

4° Utrum anathematismi retinendi, an solum errores omnes enumerandi, praemissa generali formula: „Reiicimus et damnamus eorum errores, qui docent..."

Responsum est ab octodecim Patribus, anathematismos retinendos esse duobus contradicentibus.

5° Utrum can. 4. retinendus, an expungendus; num ad verba „ad Dei gloriam tamquam finem" addendum sit „ultimum et primarium".

Responsum est, canonem retinendum talem, qualis sit, unus tamen eum supprimendum, alter, vocem „ultimum" addendam censuit.

6° An tres pantheismi species ea ratione, quae in annotatione sub textu deprehenditur et quidem immutata formula, distincte damnandae sint.

Responsum unanimiter duobus tamen formam anathematum improbantibus exceptis.

Sessio XVIII. 30. Mart. vespere habetur. — Praelecto et approbato capite I. emendato, examinantur propositae *emendationes capitis II.* (§ 1. et 2.), de quibus unus ex theologis disserit.

Conclusum est, ut § 1. l. 6. loco „eo quod" ponatur „enim" et l. 4. post „rationis" ponatur „uti nunc est" ex priori schemate (1) et quoad caetera textus maneat. Solummodo unus Revmorum Patrum desideravit, ut doctrina ontologismo opposita saltem indirecte commemoretur.

Etiam quoad § 2. consentiebant omnes Revmi Patres, ut textus retineretur, solum uno excepto, qui postulabat, ut in prima periodo res ita describerentur, ut non videretur negari sententia, ad veritates naturalis ordinis simul sumptas, revelationem divinam absolute esse necessariam; et alio, qui desideravit, ut diserte doceretur, revelationem quoad veritates naturalis ordinis esse moraliter necessariam.

Sessio XIX. habetur 31. Mart. vespere. — Continuatur examen *emendationum capitis II.* (§ 3. et 4. et canonum).

Quoad emendationum nn. 27.—35. statuerunt Patres, supprimere vocem „integra", quum desit in textu Concilii Trident., ut proponitur n. 27., et verba n. 30. proposita „Eos vero Ecclesia..." verbis respondentibus schematis substituere.

Quoad nn. 36.—42. decretum est, ut ultimae paragraphi verba ita concipiantur: „Idem decretum renovantes declaramus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, eum sacrae Scripturae esse sensum pro vero tenendum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia,. cuius est, iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, nec ulli licere, contra unanimem sensum Patrum ipsam sacram Scripturam interpretari."

Quae dicuntur nn. 42.—46., Patribus non videbantur admittenda,

(1) Videtur scriptor actorum errare. Cf. relationem de emendationibus supra t. I, p. 658, ad emend. 5. (Granderath, *Acta*, col. 1672).

ita tamen, ut, quae de lectione S. Scripturae animadvertantur, alio convenienti loco recipiantur.

Canones propositi reprobantur, excepto eo, qui n. 49. proponitur, cuius num ratio habenda sit, Revmi Relatoris iudicio committitur.

Sessio XX. 3. April. ante meridiem habetur. — Unus e Deputatis persuadet Patribus, ut, quoniam formula posterioris partis ultimae paragraphi *capitis II.* heri adoptata cum Concilio Tridentino non videatur concordare, recipiatur haec: „declaramus hanc eius mentem esse, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, is pro vero sensu S. Scripturae habendus sit, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est, iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, atque adeo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari."

Alio movente decretum est, ut in ultima paragrapho linea ultima omisso „per Apostolos" dicatur simpliciter: „atque ut tales Ecclesiae traditi sunt", cum sensus maneat idem.

Deinde actum est *de emendationibus ad caput III.* propositis. Relator pro congregatione generali designatus est Paderbornensis.

Omnes Patres emendationes sub n. 1.—5. reiiciendas esse putarunt, nisi quod vocum quarundam in n. 1. non ita male usurpatarum ratio habeatur.

6. Admissum, ut pro „supremo Auctore" ponatur „Creatore et supremo Domino".

7. Acceptum est propositum, ut loco „increatae rationi, quae est ipsa veritas" ponatur „increatae veritati", contradicentibus tamen tribus.

8. Admittitur a parte longe maiori.

9. 10. Unanimiter repudiatae.

11. a. b. c. Repudiantur, tribus vel quatuor Patribus dissentientibus.

12.—14. Reiectae.

15., 16 a. et b. Expressio ibi proposita admissa est, sed ita mutata: „plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur."

17. Exclusa.

18 a. Acceptata omisso „quidem".

18 b. et 20. Decretum est, ut dicatur in 2. periodo §i 1mo: „Dei aspirante et adiuvante gratia ab eo revelata vera esse credimus non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem..."

19. Altera pars admissa.

21. Exclusa.

22. Iam provisum in 18 a.

23. Pariter in n. 19.

24. 25. Excluduntur.

Sessio XXI. 3. April. vespere habetur. — Pergitur in discussione *emendationum cap. III.* referente Revmo Paderbornensi.

26. Emendationis propositae ratio non sufficere censetur.

27. Emendationis altera pars admittitur a verbis „Quare etc." substituto tamen alio textu sc. 2. Petr. 1, 19. loco ultimi textus.

28.—31. Reiectae.

32. Admissa.

33. Non quidem admissa, sed decretum est, ut loco „sapientia" ponatur „infinita scientia".
34. Admissa.
34 b. 36. Admittuntur eatenus, ut loco „divinae locutionis" ponatur „divinae revelationis".
37. Acceptata.
38. Iam provisum.
39. Probatur.
40. 41. Exclusae.
42. Admissa.
43.—46. Iam provisum.
47.—53. Decretum est, ut ante „credenda proponuntur" inseratur „tamquam divinitus revelata".
54. Admissa.
55. 56. Reiectae.
57. Admissa in 54.
58.—62. Reiectae.
63. Admissa, suppressa tamen in ultima sententia voce „facile".
64. Admissa, substituenda tamen pro voce „qua" vox „tamquam".
65. Non admittitur; quoad „ab omnibus" et „facile" iam provisum.
66. Admissa, ita ut dicatur „Ad solam enim Cathol. Ecclesiam..."
67. 68. Iam provisum.
69. 70. Reiectae.
71. Admissa.
72.—75. Reiectae.
76.—79. Decretum, ut pro „efficacius" ponatur „efficax".
80. Admissa eatenus, ut pro „Siquidem piissimus" ponatur „Etenim benignissimus".
81. 82. Admissae.
83.—86. Reiectae.
87. Admissa.
88.—92. Reiectae.

Sessio XXII. 4 April. vespere. — Discussio de emendationibus capitis III. pergitur.
93.—100. Reiiciuntur.
101. Admissa.
102. Reiecta.
103. Admissa, quatenus post „experientia" in textu adiiciatur „vel privata inspiratione".
104. Reiicitur.
105. Admittitur, mutato tamen „ad fidem" in „ad credendum", ut canon sit: „S. q. d., revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, sed sola interna cuiusque experientia vel privata inspiratione homines ad credendum moveri debere, a. s."
107. 108. Reiectae.
Canonis 5. nova formula a theologis proposita acceptatur; „S. q. d., assensum fidei christianae non esse liberum, sed necessariis (necessitantibus) humanae rationis argumentis produci; aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, lumen Dei supernaturale necessarium (gratiam Dei necessariam) esse, a. s." Hac formula satisfieri emendationibus propositis nn. 109. — 115.
116. Reiicitur.
Quoad can. 6. ex. n. 106. acceptatur „iusta causa".

120. — 122. Non admissae.

In fine Sessionis XXII. ab Emo Praeside prooemium secundum emendationes propositas quoad stylum reformatum legitur, quod a RR. PP. approbatur, sed hac conditione, ut cum Congregatione generali ante solemnem in publica Sessione promulgationem communicetur.

Hactenus Sessiones Deputationis pro rebus fidei in aliqua aula palatii Vaticani habebantur; abhinc in aula Universitatis Romanae (Sapienza) haberi coeptae.

Sessio XXIII. 5. April. vespere. — Primo praelegitur ab Emo Praeside *caput II.* cum canonibus correspondentibus secundum emendationes a Congregatione generali receptas denuo revisum.

Deinde duae mutationes *capitis III.*, quae a theologo proponebantur, approbatae sunt, sc., ut iuxta emendationem n. 50. propositam cap. III. § 4. „ordinario et universali magisterio" dicatur, atque ut, quemadmodum unus ex Patribus Deputationis desideravit, § 3. l. 14. loco „nondum" ponatur „non", et quidem immediate ante „operetur".

Tandem acceditur ad discussionem *emendationum in cap. IV.* propositarum.

1. Reiicitur.

2. Admittitur; corrigendus est error typographicus „cognoscitur" in „cognoscimus".

3. Reiicitur, quia de re ibi proposita iam agitur cap. II.

4. Admittitur.

5. Reiicitur; monetur Revmus Relator, ut in Congr. generali diserte notet, textum intuitismo minime favere.

6. — 8. Excluduntur.

9. Reiicitur, quum alia ex propositis iam dicta, alia iam dicenda sint.

10. 11. Erroris typographici correctione votis proponentium satisfieri potest.

12. — 15. Excluduntur.

16. Exclusa iam per ea, quae prius observata et decreta sunt.

17. Prima pars usque ad verba „Ecclesia enim" remittitur ad discussionem emendationum 26. et 27. Alterius partis ratio habenda est, ita ut verba citata (Col. 2,8) inserantur et omisso „oppositiones" dicatur.„... ius et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam" (Col. 2,8).

19. 21. Declaratur ad stylum pertinere.

18. 20. 22. — 25. Reiiciuntur.

26. 27. et primae partis 17ae rationem habendam, nova proposita formula, qua etiam SSmi Patris ad Archiepiscopum Monachiensem epistola respiciatur.

28. 29. Ad stylum spectant.

Quoad 30. et 31. decretum est, ut sententia conformetur sententiae in cap. III.

Sessio XXIV. 6 April. vespere. — Emus Praeses notat, in *cap. II.* § 3. l. 6. schematis emendati praepositionem „ex" omitti debere, quum nec in editione prima nec in posterioribus melioris notae occurrat; legi quidem in actis originalibus „ab", sed hoc statim ab initio ob cacophoniam videri esse omissum. — Deinde decretum est, ut in eiusdem capitis *can.* 3. reiecta immutatione a latinista facta, prior forma restituatur.

Quod Episcopi Neapolitani proposuerunt, ut in eiusdem capitis fine

verba „in rebus fidei et morum etc.", praesertim quoad verborum collocationem magis decreto Sess. IV. Concilii Trident. conformentur, quum alium ab eo sensum habere videantur, admissum non est, quum textus a decreto Tridentino plane sensu non differat.

Deinde pergitur in discussione *animadversionum ad caput IV.*

Iuxta emendationum sub nn. 17. et 26. propositarum mentem p. 18. loco „Quapropter tantum..." quatuor contradicentibus, acceptata est haec formula : „Quapropter tantum abest..., ut hanc multis modis iuvet atque promoveat. Non enim utilitates ab iis ad hominum vitam dimanantes ignorat, et sicut a Deo profectae sunt, ita, rite tractatas ad Deum, gratia eius iuvante [ducere : cf. p. 401] confitetur. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae, in suo quaeque ambitu, propriis utantur principiis et propria methodo ; sed iustam hanc libertatem agnoscens, illud sedulo cavet, ne etc."

32. — 34. Non admittuntur.

35. Prior pars reiicitur, dilata altera.

36. — 42. Unus ex Deputatis proponit hanc ab omnibus approbatam canonis 2. formam : „S. q. d.. disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, pro vero haberi, neque proscribi ab Ecclesia possint, a. s."

43. — 46. Decretum est, ut can. 3. ad. Constitutionem dogmaticam de Ecclesia remittatur.

47. Non admittitur.

48. — 50. Decretum est, ut conclusio ad finem totius Constitutionis transmittatur.

Sessio XXV. 8 April. vespere. — Agitur de 3. canone capitis III. ita concinnando, ut omnium voti perspicuitate satisfaciat, tum de nova capitis III. forma, denique de quibusdam styli emendationibus a viro quodam latini sermonis perito in *caput I.* propositis. Quum Ratisbonensis iam in primis Sessionibus semper institisset, ut proscriberetur error eorum, qui dicunt, ea tantummodo fide divina esse credenda, quae ab Ecclesia definita sint, tandem in capite tertio haec addere placuit : „Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario magisterio credenda proponuntur." Canonem addere, quo opposita doctrina condemnaretur, Patribus non placuit, quum res potius in schemate de Ecclesia tractanda esse videretur.

Sessio XXVI. habetur 9. April. vespere. — Redierunt Patres ad conclusionem *capitis IV.* Quum complures Patres Emo Praesidi significassent, non bene discussionem de ea omitti posse, praesertim quum post divulgationem schematis per folia publica, fraude quidem factam, omissio conclusionis facile tamquam reiectio accipi possit, decretum est unanimiter, ut conclusio in Congregatione generali proxima proponatur, Revmisque Patribus occasio praebeatur, eam iam nunc approbandi atque decernendi, quo loco collocetur. Praeterea decretum est, ut textus praevie proponatur in Congregatione generali, prout exstat in schemate reformato p. 25 sq.

In fine Sessionis praelegitur *caput IV*, emendatum. Ab uno proposita et ab omnibus unanimiter acceptata est mutatio quaedam in § 4., sc. ut loco „Non enim utilitates..." dicatur „Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat, aut despicit : fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectae sunt, ita, si rite pertractentur, ad Deum, iuvante eius gratia, perducere.

Sessio XXVII. erat 16. April. ante meridiem. — Examen votorum, quae Patres in Congregatione generali d. 12. April. suo *Placet* adiecta scripto exhibuerunt. Quae nihil novi contineant et de quibus iam antea suffragia lata fuerint, atque vota solum stylum spectantia omittenda censentur, sed alia examinanda atque de iis suffragia Patrum in Congregatione generali exquirenda esse videbantur. Quod enim unus proponebat, ut iam ab omni emendatione abstineretur, resque Summo Pontifici committeretur, non placebat. Etenim non convenire videbatur, sive ut emendationum, quae a Concilio factae et admissae erant, nulla haberetur ratio, sive ut emendationes a Summo Pontifice factae iudicio Concilii subiicerentur, sive ut textus a Concilio definitive approbatus a Summo Pontifice demum emendaretur, evenire debebat.

Revmus Brixinensis relator destinatus est.

Ex emendationibus in Constitutionem propositis:

1. Reiicitur, quia nihil proponit.

2. Item, quia falsum dicit.

3. et 4. Ad stylum pertinent.

5. Prima pars nihil proponit, ultima ad stylum spectat; caetera loco opportuno expendentur.

6. Excluditur, quum non sit necessaria.

7. Item ex eadem ratione.

8 a. Ultimi conclusi ratio habenda in Constitutionis altera parte; reliqua excluduntur.

8 b. Emendatio non est necessaria.

9.—45. Decernitur, ut desideriis Patrum satisfiat, dicendo: „Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia."

45. Excluditur.

46.-48. Iam iudicatum de iis.

48 1/2. Res per se intelligitur.

49.—50. Excluduntur.

51. Excluditur, quum, quod proponitur, verum non sit et „certo" omnino debeat retineri, ne cognitio intelligatur opinio solum probabilis.

52.—53. Item ex eadem ratione.

54.—55. Excluduntur; de re enim iam iudicatum est.

55 1/2—56. Excluduntur; prior enim observatio non est vera, et id, a quo in altera abhorretur, in textu non exprimitur.

56 1/2. Reiicitur, quum, quod proponitur, sit superfluum.

57. Reiicitur; quia non vera, quum loquendi ratio hic improbata iam a Concilio Florentino adhibeatur.

58. Refertur ad rem, de qua iam iudicatum.

59. Emendatio non necessaria.

60. Item, quia restrictio, quae timetur, est tantum putativa et sensus textus a Concilio Tridentino minime differt.

61. Non admittitur; sed decisum est, ut scribatur Veritas, non veritas.

62. Admittitur.

63.—64. De re iam iudicatum.

64 1/2. Spectat ad stylum.

65. De re iam iudicatum.

66. Res styli.

67. Reiicitur. Non est ratione fundatum, quod animadvertitur.

68. et 69. Res styli.

69 $^1/_2$. Reiicitur, ut falsum.
70. Potest poni „*Deo* iuvante" pro „gratia iuvante".
71.—73. Ad stylum spectant.
74.—89. Reiiciuntur, quum de re iam iudicatum sit.
90.—91. Reiiciuntur, quum addendo „esse" possit creari nova difficultas.
92. 99. Ad stylum spectant.
93. 95.—98 $^1/_2$. 104. De his iam iudicatum est.
94. Non necessarium.
99 $^1/_2$. Admittitur, addendo „et perfectionem".
100. Huic satisfactum, admissa emendatione numeri praecedentis.
101.—103. 105.—110. Reiiciuntur.
111.—147. Reiiciuntur, quoniam ad rem iam iudicatam referuntur.
148. Admittitur ita, ut propositae emendationis ratio habeatur.

Sessio XXVIII. habetur 20. April. — Agitur de ultimis emendationibus in schemate totius Constitutionis, die antecedente in Congregatione generali 46. approbatae, perficiendis. Simul inter Patres Deputationis Analysis animadversionum in schema de Romani Pontificis infallibilitate distribuitur.

Itaque respectu Constitutionis I^{ae} de fide decretum est, ut in *prooemio* *p*. 4. l. 11. vox „capite" maiuscula incipiat, l. 20. pro „permulta" dicatur „ insignia", l. 24. post „recolimus" ponatur „;", l. 33. pro „siquidem" ponatur „enim"; *p*. 5. l. 3. pro „multos" ponatur „non paucos", l. 14. „utpote" pro „tamquam"; *p*. 6. l. 15. loco „pervenire" ponatur „venire".

Ad *caput I.* : ut initio legatur „Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia" et l. 3. „Creatorem ac Dominum coeli et terrae omnipotentem..."

Ad *caput II.* : ut legatur „V. et N. Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout..."; l. 19. pro „habet non ideo, quod" ponatur „habet, non ideo quod".

Can. 3 : ut post „cognitionem" addatur : „et perfectionem".

Ad *Caput III* : § 1. l. 3. pro „veritati" scribatur „Veritati", l. 11. pro „Dei" ponatur „Divina", l. 13. pro „eo" ponatur „Deo", l. 17. pro „revelantis" ponatur „ipsius Dei revelantis".

§ 2. *p*. 4. l. 9. „scriptum" deleatur; l. 14. pro „rursum" legatur „rursum scriptum".

§ 3. l. 8. pro „assentiendo" ponatur „consentiendo".

§ 3 [5]. l. 6. loco „ad" ponatur „in"; l. 22. legatur : „Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem, et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem."

§ ult. *pag*. 7. l. paenult. legatur „confessionem indeclinabilem".

Can. 4. l. 3. pro „eiusmodi" ponatur „de iis".

Ad *caput IV*. § 2. *pag*. 4. l. 14 pro „ipsa sua" ponendum „suapte".

Can. 3. l. 3. dicatur „propositis aliquando secundum progressum scientiae, sensus etc."

Conclus. § 1. l. 4. legatur „Christi fideles per viscera Iesu Christi obtestamur, eis vero ... funguntur, eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate... a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos etc." [1].

Sessio XXIX. habita est d. 21. Aprilis. — Perfecta Constitutione dogmatica prima de fide catholica, schema *Constitutionis dogmaticae secundae de fide catholica* pro rebus ad fidem pertinentibus sine mora propo-

situm est. Incipit vero hoc schema a capite V. integri schematis reformati, quod caput quintum proinde primum novi schematis evadit. In ea Sessione examinatur caput II, quod est caput VI. pristini schematis.

Praeterea in hac Sessione decretum est, ut *conclusio primae Constitutionis de fide* non mutetur, nisi quod solum recipiatur additamentum „ad arcendos et"; porro, ut in *can.* 6. *cap III.* loco „fideles catholici" dicatur „catholici".

Tandem monet Emus Praeses, ut Revmi Patres cogitent de duabus Deputationibus specialibus e quaternis Patribus constituendis et eligendis pro examine observationum ad capita de SS. Pontifice eiusque infallibilitate spectantium.

APPENDICE VII

Extrait du Concile de Trente, Session VI : De justificatione.

CAPUT VI. — *Modus praeparationis.*

Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti, fidem ex auditu concipientes (1), libere moventur in Deum, credentes vera esse quae divinitus revelata et promissa sunt : atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu (2) ; et dum peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore ; illumque, tamquam omnis justitiae fontem (3), diligere incipiunt : ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam quam ante Baptismum agi oportet : denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est : Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit (4). Et, Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua (5). Et, Timor Domini, expellit peccatum (6). Et, Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti (7). Et, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare quaecumque mandavi vobis (8). Denique, Praeparate corda vestra Domino (9).

(1) Rom. X.
(2) Rom. III.
(3) Psalm. XLI.
(4) Hebr. XI.
(5) Marc. II, et Matth. IX.
(6) Eccl, I.
(7) Act. II.
(8) Matth. et Marc. ult.
(9) I Reg. VII, 2.

APPENDICE VIII

Extrait de la lettre apostolique de Pie IX à l'archevêque de Munich au sujet des Congrès de théologiens en Allemagne (21 décembre 1863).

...Noscebamus etiam, Venerabilis Frater, nonnullos ex catholicis, qui severioribus disciplinis excolendis operam navant, humani ingenii viribus nimium fidentes errorum periculis haud fuisse absterritos, ne in asserenda fallaci et minime sincera scientiae libertate abriperentur ultra limites, quos praetergredi non sinit obedientia debita erga magisterium Ecclesiae ad totius revelatae veritatis integritatem servandam divinitus institutum. Ex quo evenit, ut hujusmodi catholici misere decepti et iis saepe consentiant, qui contra hujus Apostolicae Sedis ac Nostrarum Congregationum decreta declamant ac blaterant, ea liberum scientiae progressum impedire. et periculo se exponunt sacra illa frangendi obedientiae vincula, quibus ex Dei voluntate eidem Apostolicae huic adstringuntur Sedi, quae a Deo ipso veritatis magistra et vindex fuit constituta. Neque ignorabamus, in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem scholam et adversus doctrinam summorum illorum Doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitae sanctitatem universalis veneratur Ecclesia. Qua falsa opinione ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quando quidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia saecula permisit, ut ex eorumdem Doctorum methodo, et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit....

Equipem cum omnes ejusdem Conventus viri, veluti scribis, asseruerint, scientiarum progressum et felicem exitum in devitandis ac refutandis miserrimae nostrae aetatis erroribus omnino pendere ab intima erga veritates revelatas adhaesione, quas catholica docet Ecclesia, ipsi noverunt ac professi sunt illam veritatem, quam veri catholici scientiis excolendis et evolvendis dediti semper tenuere ac tradiderunt. Atque hac veritate innixi potuerunt ipsi sapientes ac veri catholici viri scientias easdem tuto excolere, explanare easque utiles certasque reddere. Quod quidem obtineri non potest, si humanae rationis lumen finibus circumscriptum eas quoque veritates investigando, quas propriis viribus et facultatibus assequi potest, non veneretur maxime, ut par est, infallibile et increatum Divini intellectus lumen, quod in christiana revelatione undique mirifice elucet. Quamvis enim naturales illae disciplinae suis propriis ratione cognitis principiis nitantur, catholici tamen earum cultores divinam revelationem veluti rectricem stellam prae oculis habeant oportet, qua praelucente sibi a syrtibus et erroribus caveant, ubi in suis investigationibus et commentationibus animadvertant posse se

illis adduci, ut saepissime accidit, ad ea proferenda, quae plus minusve adversentur infallibili rerum veritati, quae a Deo revelatae fuere. Hinc dubitare nolumus, quin ipsius Conventus viri commemoratam veritatem noscentes ac profitentes, uno eodemque tempore plane rejicere ac reprobare voluerint recentem illam ac praeposteram philosophandi rationem, quae etiamsi divinam revelationem veluti historicum factum admittat, tamen ineffabiles veritates ab ipsa divina revelatione propositas humanae rationis investigationibus supponit, perinde ac si illae veritates rationi subjectae essent, vel ratio suis viribus et principiis posset consequi *intelligentiam et scientiam* omnium supernarum sanctissimae fidei nostrae veritatum et mysteriorum, quae ita supra humanam rationem sunt, ut haec nunquam effici possit idonea ad illa suis viribus et ex naturalibus suis principiis intelligenda aut demonstranda. Ejusdem vero conventus viros debitis prosequimur laudibus, propterea quod rejicientes, uti existimamus, falsam inter philosophum et philosophiam distinctionem, de qua in aliis Nostris Litteris ad Te scriptis loquuti sumus, noverunt et asseruerunt, omnes catholicos in doctis suis commentationibus debere ex conscientia dogmaticis infallibis catholicae Ecclesiae obedire decretis. Dum vero debitas illis deferimus laudes, quod professi sint veritatem, quae ex catholicae fidei obligatione necessario oritur, *persuadere Nobis volumus, noluisse obligationem, qua catholici* magistri ac scriptores omnino adstringuntur, coarctare in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur. Atque etiam Nobis persuademus, ipsos noluisse declarare, perfectam illam erga revelatas veritates adhaesionem, quam agnoverunt necessariam omnino esse ad verum scientiarum progressum assequendum et ad errores confutandos, obtineri posse, si dumtaxat dogmatibus ab Ecclesia expresse definitis fides et obsequium adhibeatur. Namque etiamsi ageretur de illa subjectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum hujusque Apostolicae Sedis *decretis definita sunt*, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tanquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur. Sed cum agatur de illa subjectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, idcirco ejusdem Conventus viri recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata Ecclesiae *dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subjiciant* tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti Catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram.

APPENDICE IX

Extrait de la lettre apostolique de Pie IX à l'archevêque de Munich, au sujet des erreurs du prêtre Frohschammer (11 décembre 1862).

Gravissimas inter acerbitates, quibus undique premimur, in hac tanta temporum perturbatione et iniquitate vehementer dolemus, cum noscamus, in variis Germaniae regionibus reperiri nonnullos catholicos etiam viros, qui sacram theologiam ac philosophiam tradentes minime dubitant quamdam inauditam adhuc in Ecclesia docendi scribendique libertatem inducere, novasque et omnino improbandas opiniones palam *publiceque profiteri et in vulgus disseminare. Hinc non levi moerore* affecti fuimus, Venerabilis Frater, ubi tristissimus ad Nos venit nuntius, presbyterum Jacobum Frohschammer in ista Monacensi Academia philosophiae doctorem hujusmodi docendi scribendique licentiam prae ceteris adhibere, eumque suis operibus in lucem editis perniciosissimos tueri errores. Nulla igitur interposita mora, Nostrae Congregationi libris notandis praepositae mandavimus, ut praecipua volumina, quae ejusdem presbyteri Frohschammer nomine circumferuntur, cum maxima diligentia sedulo perpenderet, et omnia ad Nos referret. Quae volumina germanice scripta titulum habent — *Introductio in philosophiam* — *De libertate scientiae* — *Athenaeum* — quorum primum anno 1858., alterum *anno 1861., tertium vero vertente hoc anno 1862. istis Monacensibus* typis in lucem est editum. Itaque eadem Congregatio Nostris mandatis diligenter obsequens summo studio accuratissimum examen instituti, omnibusque semel iterumque serio ac mature ex more discussis et perpensis judicavit, auctorem in pluribus non recte sentire, ejusque doctrinam a veritate catholica aberrare. Atque id ex duplici praesertim parte, et primo quidem propterea quod auctor tales humanae rationi tribuat vires, quae rationi ipsi minime competunt, secundo vero, quod eam omnia opinandi et quidquid semper audendi libertatem eidem rationi concedat, ut ipsius Ecclesiae jura, officium et auctoritas de medio omnino tollantur. Namque auctor in primis edocet, philosophiam, si recta ejus habeatur notio, posse non solum percipere et intelligere ea christiana dogmata, quae naturalis ratio cum fide habet communia (tanquam commune scilicet perceptionis objectum), verum etiam ea, quae christianam religionem fidemque maxime et proprie efficiunt, ipsumque scilicet supernaturalem hominis finem et ea omnia, quae ad ipsum spectant, atque sacratissimum Dominicae Incarnationis mysterium ad humanae rationis et philosophiae provinciam pertinere, rationemque, dato hoc objecto, suis propriis principiis scienter ad ea posse pervenire. Etsi vero aliquam inter haec et illa dogmata distinctionem auctor inducat, et haec ultima minori jure rationi adtribuat, tamen clare aperteque docet, etiam haec contineri inter illa, quae veram propriamque scientiae seu philosophiae materiam constituunt. Quocirca ex

ejusdem auctoris sententia concludi omnino possit ac debeat, rationem in abditissimis etiam divinae sapientiae ac bonitatis, immo etiam et liberae ejus voluntatis mysteris, licet posito revelationis objecto posse ex seipsa, non jam ex divinae auctoritatis principio, sed ex naturalibus suis principiis et viribus ad scientiam seu certitudinem pervenire. Quae auctoris doctrina quam falsa sit et erronea, nemo est, qui christianae doctrinae rudimentis vel leviter imbutus non illico videat planeque sentiat. Namque si isti philosophiae cultores vera ac sola rationis et philosophicae disciplinae tuerentur principia et jura, debitis certe laudibus essent persequendi. Siquidem vera ac sana philosophia nobilissum suum locum habet, cum ejusdem philosophiae sit, veritatem diligenter inquirere, humanamque rationem licet primi hominis culpa obtenebratam, nullo tamen modo extinctam, recte ac sedulo excolere, illustrare, ejusque cognitionis objectum ac permultas veritates percipere, bene intelligere, promovere, earumque plurimas, uti Dei existentiam, naturam, attributa, quae etiam fides credenda proponit, per argumenta ex suis principiis petita demonstrare, vindicare, defendere, atque hoc modo viam munire ad haec dogmata fide rectius tenenda, et ad illa etiam reconditiora dogmata, quae sola fide percipi primum possunt, ut illa aliquo modo a ratione intelligantur. Haec quidem agere, atque in his versari debet severa et pulcherrima verae philosophiae scientia. Ad quae praestanda si viri docti in Germaniae Academiis enitantur pro singulari inclytae illius nationis ad severiores gravioresque disciplinas excolendas propensione, eorum studium a Nobis comprobatur et commendatur, cum in sacrarum rerum utilitatem profectumque convertant, quae illi ad suos usus invenerint. At vero in hoc gravissimo sane negotio tolerare nunquam possumus, ut omnia temere permisceantur, utque ratio illas etiam res, quae ad fidem pertinent, occupet atque perturbet, cum certissimi omnibusque notissimi sint fines, ultra quos ratio nunquam suo jure est progressa vel progredi potest. Atque ad hujusmodi dogmata ea omnia maxime et apertissime spectant, quae supernaturalem hominis elevationem, ac supernaturale ejus cum Deo commercium respiciunt, atque ad hunc finem revelata noscuntur. Et sane cum haec dogmata sint supra naturam, idcirco naturali ratione ac naturalibus principiis attingi non possunt. Nunquam siquidem ratio suis naturalibus principiis ad hujusmodi dogmata scienter tractanda effici potest idonea. Quod si haec isti temere asseverare audeant, sciant, se certe non a quorumlibet doctorum opinione, sed a communi et nunquam immutata Ecclesiae doctrina recedere. Ex divinis enim Litteris et sanctorum Patrum traditione constat, Dei quidem existentiam multasque alias veritates ab iis etiam, qui fidem nondum susceperunt, naturali rationis lumine cognosci, sed illa reconditiora dogmata Deum solum manifestasse, dum notum facere voluit, *mysterium, quod absconditum fuit a saeculis et generationibus* (1) *et ita quidem, ut postquam multifariam multisque modis olim locutus esset patribus in prophetis, novissime nobis locutus est in Filio, per quem fecit et saecula* (2) ... *Deum enim nemo vidit unquam. Unigenitus Filius quid est in sinu Patris, ipse enarravit* (3). Quapropter Apostolus, qui gentes Deum per ea, quae facta sunt, cognovisse testatur, disserens de *gratia et veritate* (4) *quae per Jesum Christum facta*

(1) Col. 1, v. 26.
(2) Hebr. 1, v. 1, 2.
(3) Joan. 1, v. 18.
(4) Joan. 1, v. 17.

est, loquimur, inquit, Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est... quam nemo principum hujus saeculi cognovit... Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum ...Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei (1). Hisce aliisque fere innumeris divinis eloquiis inhaerentes SS. Patres in Ecclesiae doctrina tradenda continenter distinguere curarunt rerum divinarum notionem, quae naturalis intelligentiae vi omnibus est communis, ab *illarum rerum notitia, quae per Spiritum Sanctum fide suscipitur*, et constanter docuerunt, per hanc ea nobis in Christo revelari mysteria, quae non solam humanam philosophiam, verum etiam angelicam naturalem intelligentiam transcendunt quaeque etiamsi divina revelatione innotuerint et ipsa fide fuerint suscepta, tamen sacro adhuc ipsius fidei velo tecta et obscura caligine obvoluta permanent, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino (2). Ex his omnibus patet, alienam omnino esse a catholicae Ecclesiae doctrina sententiam, qua idem Frohschammer asserere non dubitat, omnia indiscriminatim christianae religionis dogmata esse objectum naturalis scientiae seu philosophiae, et humanam rationem historice tantum excultam, modo haec dogmata ipsi rationi tanquam objectum proposita fuerint, posse ex suis naturalibus viribus et principio ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire. Nunc vero in memoratis ejusdem auctoris scriptis alia dominatur sententia, quae catholicae Ecclesiae doctrinae ac sensui plane adversatur. Etenim eam philosophiae tribuit libertatem, quae non scientiae libertas, sed omnino reprobanda et intoleranda philosophiae licentia sit appellanda. Quadam enim distinctione inter philosophum et philosophiam facta, tribuit philosopho jus et officium se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit, sed utrumque philosophiae ita denegat, ut nulla doctrinae revelatae ratione habita, asserat, ipsam nunquam debere ac posse auctoritati se submittere. Quod esset tolerandum et forte admittendum, si haec dicerentur de jure tantum, quod habet philosophia, suis principiis seu methodo ac suis conclusionibus uti, sicut et aliae scientiae, ac si ejus libertas consisteret in hoc suo jure utendo, ita ut nihil in se admitteret, quod non fuerit ab ipsa suis conditionibus acquisitum aut fuerit ipsi alienum. Sed haec justa philosophiae libertas suos limites noscere et experiri debet. Nunquam enim non solum philosopho, verum etiam philosophiae licebit, aut aliquid contrarium dicere iis, quae divina revelatio et Ecclesia docet, aut aliquid ex eisdem in dubium vocare, propterea quod non intelligit, aut judicium non suscipere, quod Ecclesiae auctoritas de aliqua philosophiae conclusione, quae hucusque libera erat, proferre constituit. Accedit etiam, ut idem auctor philosophiae libertatem seu potius effrenatam licentiam tam acriter, tam temere propugnet, ut minime vereatur asserere, Ecclesiam non solum non debere in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debere ipsius philosophiae tolerare errores eique relinquere, ut ipsa se corrigat, ex quo evenit, ut philosophi hanc philosophiae libertatem necessario participent, atque ita etiam ipsi ab omni lege solvantur. Ecquis non videt, quam vehementer sit re-

(1) I. Corint. 2, v. 7, 8, 10, 11.

(2) S. Joan. Chrys. homil. 7. (9) *in I, Corint.*; — S. Ambros. *de fide ad Grat.*, 1, 10. — S. Leo, *de Nativ. Dom.*, Serm., 9.— S. Cyril, Alex., *Cont. Nestor.*, lib. 3, initio; *in Joan.*, 1, 9. — S. Joan. Dam. *de fide*; orat. II, 1, 2. *in I, Cor.*, c. 2. — S. Hier., *in Gal.*, III, 2.

jicienda, reprobanda et *omnino* damnanda hujusmodi Froschammer sententia atque doctrina? Etenim Ecclesia ex divina sua institutione et divinae fidei depositum integrum inviolatumque diligentissime custodire, et animarum saluti summo studio debet continenter advigilare, ac summa cura ea omnia amovere et eliminare, quae vel fidei adversari, vel animarum salutem quovis modo in discrimen adducere possunt. Quocirca Ecclesia ex potestate sibi a divino suo Auctore commissa non solum jus, sed officium praesertim habet non tolerandi, sed proscribendi ac damnandi omnes errores, si ita fidei integritas et animarum salus postulaverint, et omni philosopho, qui Ecclesiae filius esse velit, ac etiam philosophiae officium incumbit, nihil unquam dicere contra ea, quae Ecclesia docet, et ea retractare, de quibus eos Ecclesia monuerit. Sententiam autem, quae contrarium edocet, omnino erroneam, et ipsi fidei, Ecclesiae ejusque auctoritati vel maxime injuriosam esse edicimus et declaramus.

TABLE DU SECOND VOLUME

PARAGRAPHE IV. — La foi catholique et la double forme que revêt le magistère de l'Eglise.

PARAGRAPHE III. — **Impossibilité d'une opposition de la science avec la foi.**

PARAGRAPHE IV. — **Services mutuels que se rendent la foi et la raison.**

APPENDICE VII

Concile de Trente. Session VI de justificatione.

APPENDICE VIII

Lettre apostolique de Pie IX à l'archevêque de Munich du 21 décembre 1863.

APPENDICE IX

Lettre apostolique de Pie IX à l'archevêque de Munich du 11 décembre 1862.

TABLE ANALYTIQUE DES TOMES I ET II

SUIVANT L'ORDRE ALPHABÉTIQUE

Cette table n'est détaillée que pour le corps même de l'ouvrage. On y a cependant inséré des renvois aux documents et aux principales données des appendices.

Les renvois au tome I, sont marqués par la simple indication des pages. Les renvois au tome II sont précédés de l'indication du tome, faite une fois pour tous les renvois qui suivent cette indication à chaque article. Les pages des renvois aux appendices sont indiquées en caractères gras.

Le titre des 145 articles qui forment les divisions de l'ouvrage, est imprimé en italique. Il est ordinairement suivi d'une analyse du contenu de l'article.

ERRATA

TOME I

Page 735, aux *Errata*, déjà signalés, ajoutez :
— 46, ligne 13, *après* Appendice, *intercalez* I, document XVIII.
— 232, — 29, *après* videtur, *intercalez* et inimicum fidei Christianæ.
— 719, — 12, *au lieu de* rationalisme, *lisez* protestantisme.
— 725, — 36, *au lieu de* mutuelle, *lisez* naturelle.

TOME II

Page 96, ligne 31, *au lieu de* 628, *lisez* 629.
— 177, — 23, *au lieu de* 737, *lisez* 736.
— 222, — 21, *au lieu de* ART. 125, *lisez* ART. 126.
— 234, — 31, *après* 798, *intercalez* Erreurs des rationalistes, 799.
Même page, — 42, *au lieu de* Elles, *lisez* Elle.
